MASTER
NEGATIVE
NO. 92-80746-3

AUTHOR:
WENDORFF , FRANZ

TITLE:
EX USU CONVIVALI THEOGNIDEAM . . .

PLACE:
BEROLINI

DATE:
1902

Master Negative #

92-80746-3

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Wendorff, Franz, 1862-
Ex usu convivali Theognideam syllogen fluxisse demonstratur, dissertatio inauguralis quam ... defendet auctor Franziscus Wendorff ... Berolini, Ebering, 1902.
80 p. 22 cm.

Thesis, Berlin, 1902.
Bound with: Lucas, Johann. Studia Theognidea. 1893.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 9-17-92 INITIALS McM
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

Ex usu convivali Theognideam syllogen fluxisse demonstratur.

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA BEROLINENSI
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE XVI M. AUGUSTI A. MDCCCCII
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

Franziscus Wendorff
Pomeranus.

ADVERSARII ERUNT:
O. Ressmeyer, stud. phil.
E. Hoffmann, stud. phil.
F. Boehm, stud. phil.

BEROLINI, 1902.
TYPIS IMPRESSIT E. EBERING.
Mittelstrasse 29.

Praefatio.

Quamquam genuina quaedam Theognidis carmina non absunt ab illa collectione elegiaco metro compositorum versuum quae eius nominis praescriptione ad nos pervenit, tamen eam sic ut nunc exstat ab ipso poëta haudquaquam profectam neque cum genuinis eius carminum voluminibus confundendam esse dudum inter homines doctos constat. Neque id iniuria. Cyrni enim nomine insigniti versus, nisi qui forte exstant quibus fraude illud nomen illatum sit, Theognidis esse ob eam rem credendum est, quia versibus 19—26 uno sermonis tenore et nomen suum ille profitetur et Cyrnum alloquitur. Contra ceterorum versuum congeriem ut maxima ex parte a Theognide abiudicandam esse censeam, his causis adducor:

Primum quidem versuum aliunde depromptorum hanc seriem attendimus:

Vv. 153—54 Soloni tribuit Aristoteles Athen. rei publ. capite 12.

" 227—32 Soloni tribuuntur in Stobaei Floril. IX 25. Cf. Aristot. Pol. I 3, 9, Plutarch. de cup. divit. 4.

" 265—66 Aristoteli ut Deliacum epigramma afferuntur in Ethic. Nic. I 9, 1099a 25—28. Quod tamen levius mihi pensitatur.

" 315—18 Soloni tribuuntur Plutarcho vit. Sol. c. 3.

" 585—90 Soloni tribuuntur in Stobaei Floril. IX 25.

Vv. 719—28 usque ad v. 724 ut Solonis afferuntur Plutarcho vit. Sol. c. 2.
„ 795—96 Mimnermo tribuuntur in Anthol. Pal. IX 60.
„ 935—38 ex Tyrtaei tribus distichis contracti sunt, quae exstant in elegiaco carmine a Stobaeo Floril. LI 1 et 5 servato. Leguntur fr. 12, 37—42 ap. Bergk.
„ 1003—06 ex eodem Tyrtaei carmine deprompti sunt. Leguntur fr. 12, 13—16 ap. Bergkium.
„ 1253—54 Solonis esse docet Hermias in Phaedr. p. 78 ed. Ast.

Unde plura etiam quae a Theognide aliena sint in nostra sylloge latere facile aliquis sibi persuadeat. Neque desunt iudicia quibus id ita esse praeterea intellegi possit. Aliam enim atque Theognis patriam ille profitetur qui v. 1209 dicit *Αἴθων μὲν γένος εἰμί*.

Nonnullae deinde eclogae cum Theognideis sententiis contradicant, ab eo profectae esse non possunt. Velut, quod versibus 1179—80 Cyrnus admonetur, ut deos veneretur, religione enim ne quid impie faciant homines obstringi, cum iis male congruunt versus 373—80, qui a verbis *Ζεῦ φίλε, θαυμάζω σε* incipiunt. Et versus 743—52 Iovem tanquam increpitant, qui ita incipiunt:

Καὶ τοῦτ᾽, ἀθανάτων βασιλεῦ, πῶς ἐστὶ δίκαιον,
ἔργων ὅστις ἀνὴρ ἐκτὸς ἐὼν ἀδίκων,
μή τιν᾽ ὑπερβασίην κατέχων μηδ᾽ ὅρκον ἀλιτρόν,
ἀλλὰ δίκαιος ἐὼν μὴ τὰ δίκαια πάθῃ;
τίς δή κεν βροτὸς ἄλλος, ὁρῶν πρὸς τοῦτον, ἔπειτα
ἅζοιτ᾽ ἀθανάτους, καὶ τίνα θυμὸν ἔχων;

Rursus deinde versus 687—88 haec praescribunt:

Οὐκ ἔστι θνητοῖσι πρὸς ἀθανάτους μαχέσασθαι
οὐδὲ δίκην εἰπεῖν· οὐδενὶ τοῦτο θέμις.

Num haec ab eodem poëta edita sunt atque illa? Alias sententias dissentaneas in eis inveniri a quibus Cyrni nomen

abest quis est quin videat? Hic iuvenis loquitur (vv. 567—70, 1119—22), senior illic (vv. 527—28, 1351—52), hic homo gravis et virtutis aemulator (vv. 465—66, 629—30), illic qui lascivior videtur esse (vv. 1063—68). Ille divitiis iuhiat qui versus 1154—55 edidit (conf. vv. 1119—22), contra cui versus 559—60 et 1155—56 debentur dives esse nolit, parvo contentus, dum tantum sit, quantum suppeditet ad vivendum. Ebrius loquitur vv. 503—08, cum inde a v. 479 qui loquitur id assequi studeat, ut alios ab ebrietate detineat. Neque quae sententiae vv. 823—24 et 1181—82, quaeque vv. 1041—42 et 1217—18 exprimuntur inter se concinunt.

Deinde si temporum rationem habemus, inter versus 773—82 et 891—94 tanta differentia est, ut ab eodem poëta profecti esse non possint. His enim et Cypselidum generis ut etiam vigentis et regnantis mentio fit[1]) et belli illius, ut videtur, quod de agri Lelanti possessione inter Chalcidenses et Eretrienses medio vel exeunte saeculo septimo gestum est,[2]) Illi contra pertinent haud dubie ad

[1]) Versu enim 894 scribendum esse apparet:

ὡς δὴ Κυψελιδέων Ζεὺς ὀλέσειε γένος,

cum neque *κυψελίζον*, quod libri exhibent, propter metricam importunitatem retineri possit, et similia verba q. s.

ἐξώλης εἴη Κυψελιδέων γενεή

in vetere epigrammate occurrant, quod in colosso aureo, a Cypselo Pythio Apollini dedicato, infuisse comperimus (vide Suid. s. v. *Κυψελιδῶν ἀναθήματα*). Quod epigramma nostrum poëtam respexisse suspicor Cypselidum generi illum quidem observantem.

[2]) Non defuerunt qui, ut temporum ratio constaret, ad id bellum hos vv. referendos esse censerent quod anno 506 ab Atheniensibus in Euboea feliciter gestum est. Qui rationem etiam excogitaverunt qua explicaretur quod Cypselidum genus poëta detestatur. Miltiadem enim, cuius proavo Cypselo nomen fuisse ex Herodoto (VI 34—35) scimus, ducem iam in eo bello Atheniensium fuisse contendunt. Quibus suo iure Vischerus (Kleine Schriften I p. 597 sqq.) obloquitur. Ex iis enim quae de hoc bello Herodotus

instantis Persici illius belli periculum quod anno 481 a. Chr. n. toti Graeciae a Xerxe illatum est, cum si de priore quodam Persarum conamine ageretur, quo iure Megarensis poëta de suae urbis salute anxius animo fuisset minus appareret. Neque hodie etiam sunt, opinor, qui cum Bergkio in eo faciant quod Harpagi expeditionem Ionicam iis attingi censuit.

Denique nonnulli versus ad aliorum qui idem in nostra sylloge exstant exemplar facti sunt. Velut versus 1353—54 e versibus 301—02, vv. 1161—62 e vv. 409—10, vv. 1117—18 e vv. 1365—66 detortos esse crediderim. Qua in re si quis contrarium potius statuit, eam controversiam nunc remittimus, tantum affirmantes, alterumutrum distichon exemplar fuisse unde alterum fluxerit.

Ex his omnibus satis apparet nostram syllogen congeriem esse in qua variorum poëtarum carmina et carminum reliquiae Theognideis quibusdam admixta sint. Quaeritur igitur, cum de hac re dubitari nequeat, quomodo fieri potuerit, ut haec omnia sic ut exstant et sibi aggregarentur et pro genuinis Theognidis carminibus haberentur. Ut enim codices Theo-

(V 77) prodit colligere debemus, quo die Atheniensium exercitus in Euboeam transierit, aut eodem aut non multo post eum diem Chalcidenses proelio superatos et statim in deditionem acceptos esse. Itaque valde mirandum est, si ad has res illi versus pertinent, quod Cerinthi oppidum captum esse et Lelanti agrum vastari poëta aegre fert neque potius ipsius Chalcidis deditionem. Accedit quod Cerinthi oppidum in orientali Euboeae litore situm erat. Quod ut in Chalcidensium dicione tunc fuisse ponamus, — neque enim id aliunde constat — tamen non perspicuum fit quid Athenienses moverit, ut priusquam cum Chalcidensibus confligerent, distractione copiarum facta eo oppido potirentur. Haec fere Vischerus recte mihi videtur exposuisse. Praestat igitur, quia simplicior est, ea ratio, ut ad id bellum illi versus referantur quod antiquis admodum temporibus inter Chalcidenses et Eretrienses gestum est. In quibus cum et agri Lelanti mentio fiat et Cypselidum generis, duo nomina occurrunt quae antiquiora tempora spectant.

gnidis haec carmina esse praescriptione indicant, ita haud dubie Clemens Alexandrinus et Stobaeus in eo errore versati sunt. Ille enim (Strom. VI 174) Theognidi imputat, ut, cum hoc distichon versibus 153—54 in nostra s. legatur:

Τίκτει τοι κόρος ὕβριν, ὅταν κακῷ ὄλβος ἕπηται
ἀνθρώπῳ καὶ ὅτῳ μὴ νόος ἄρτιος ᾖ,

illum in modum Solonis verba refinxerit. Qui haec ediderat, quae Aristoteli afferuntur in Athen. rei publ. capite 12:

Δῆμος δ' ὧδ' ἂν ἄριστα σὺν ἡγεμόνεσσιν ἕποιτο,
μήτε λίαν ἀνεθεὶς μήτε βιαζόμενος.
τίκτει γὰρ κόρος ὕβριν, ὅταν πολὺς ὄλβος ἕπηται
ἀνθρώποισιν, ὅσοις μὴ νόος ἄρτιος ᾖ.

Hac ratione ceteros quoque aliorum poëtarum versus qui in nostram s. recepti sunt Theognis refinxisset, cum haudquaquam invariati omnes ibi legantur. Stobaeus deinde versus 315—18, qui Solonis sunt, Theognidi tribuit (Flor. I 16). Ceterum nihil veteribus ex Theognide affertur quod non in nostra s. exstet, praeterquam quod tria disticha extraria etiam apud Stobaeum, unum apud Athenaeum servantur; cf. Bergk. poët. lyr. II[4] p. 234. Stobaeum vero genuina Theognidis carmina non usurpasse apertissimum est. Itaque cum Bergkio haec e codice integriore sumpta esse coniicias.

Haec dum reputamus, facere non possumus, quin ad antiquiora tempora nostram syllogen relegemus. Quam etiam ante Alexandrinam aetatem confectam esse inde concludi potest, quod eius poësis vestigia nulla in ea agnoscimus. Fuerunt nihilominus qui eam novissimis temporibus grammatici alicuius opera conquisitam esse contenderent.[1]) Quae vana esse nunc inter homines doctos constare videtur. Grammaticum qui nostram s. concinnaverit

[1]) Vide quae Nietzschius disseruit Mus. Rhen. XXII p. 180 sqq., quae vanissimis rationibus nituntur.

etiam Bergkius agnoscit (l. l. p. 236), cum de tempore multo rectius iudicet mea sententia. Veretur enim ad recentiora tempora illum grammaticum referre, cum iisdem partium studiis etiam atque Theognis deditus fuisse videatur, quae partium studia quo tempore Macedones praevaluerint iam obsopita fuisse dicit in civitatibus Graecis. Qua in ratiocinatione ut aliquid veri inesse persuasum habeo, ita de grammatico dubitem qui politicum intellectum habuerit. Crediderim potius ex usu convivali hanc syllogen fluxisse, idque spero me ita esse demonstraturum, ut amplius de ea re dubitari non possit. Discedo igitur in eam sententiam quam Reitzensteinius in eo libello cui inscripsit 'Epigramm und Skolion' inde a p. 71 haud intecte aperuit. Qui vir doctus, ut fuit intentior Alexandrinae poësi, magis tamen eam adumbravit, quam ut omnia quae ad rem faciunt accurate examinaverit. Quae si promptioribus curis nunc assequi conabimur, non ingratum opus suscipere nobis videmur neque vanis in rebus frustra operam collocare.

---

§ 1. Convivalem usum ea in quibus Cyrnus appellatur subierunt.

In primo evincere conabor convivalem usum ea carmina habuisse quibus Cyrni appellatio inserta est. Duabus autem rationibus illud intellegi potest, quarum altera, quam nunc animadvertimus, ea est ut ipsius Theognidis dicta observemus. Qui ita loquitur Cyrnum appellans inde a versu 239:

θοίνῃς δὲ καὶ εἰλαπίνῃσι παρέσσῃ
ἐν πάσαις, πολλῶν κείμενος ἐν στόμασιν·
καί σε σὺν αὐλίσκοισι λιγυφθόγγοις νέοι ἄνδρες
ἐν κώμοις ἐρατοῖς καλά τε καὶ λιγέα
ᾄσονται.

Posui haec sicut apud Bergkium in quarta poët. lyr. editione exstant, id est recepta Brunckii coniectura qua pro traditis verbis *εὐκόσμως ἐρατοί* v. 242 scribitur *ἐν κώμοις ἐρατοῖς*. Quam sive probaveris sive reieceris, — mihi autem probatur[1]) — de cantibus convivalibus hoc loco verba fieri evidentissimum est. Ut enim vox *κῶμος* recte inferatur, de ipso convivio eam ibi accipias necesse erit, ita ut idem valeat atque *θοῖναι καὶ εἰλαπίναι*, quae supra dicta exstant. Quo sensu et versu 829 q. e.

---

[1]) Quod enim adverbia *εὐκόσμως* et *καλά τε καὶ λιγέα* sine copula eidem enuntiato inseruntur, dubito an haec ratio exemplis firmari non possit. Aliquid deinde et ei rei tribuerim quod *κῶμοι* Pindaro vocantur *ἐρατοί* (Isthm. 2, 31) itemque *συμπόσια* Bacchylidi *ἐρατά* (fr. 13, 10 Bgk.).

ἀλλ' ἄγε δή, Σκύθα, κεῖρε κόμην, ἀπόπαυε δὲ κῶμον

ea usurpata est, si quidem haec ibi praeeunt:

Πῶς ὑμῖν τέτληκεν ὑπ' αὐλητῆρος ἀείδειν
θυμός — — — — — — — —
— — — ἐν εἰλαπίναις φορέοντας
ξανθῇσίν τε κόμαις πορφυρέους στεφάνους;

Vocem '*κῶμοι*' etiam Hesychius ascripta notione '*συμπόσια*' explanat. Contra versu 1046, ubi agitur de recipiendo como, proprium eius voculae sensum eum agnoscamus necesse est, ut sit redeuntium a convivio agmen comessabundum. Quem sensum a nostro loco, si recte scribitur ibi '*ἐν κώμοις ἐρατοῖς*', alienum esse existimem. Cyrni enim nomine notati versus minus certe idonei erant, qui in ebrietate et lascivia demum canerentur.

Altera ratio qua convivalis usus eorum carminum quibus Cyrnus appellatur intellegi possit haec est: Insunt praecipue in iis praecepta (*παραινέσεις*) et — liceat Graece illud exprimere — *στασιωτικά*. Talia vero prorsus e consuetudine convivali fuisse statim videbimus.

§ 2. Praeceptivi versus quibus Cyrnus appellatur.

Fieri non potest, quin ei nostrae sylloges versus quibus morale vel utile praeceptum expromitur in suspicionem nobis veniant, qui ad convivalem usum facti sint. Erat enim antiquus mos, ut in conviviis etiam bona praecepta iuvenum pectora imbiberent. Quem morem ipsius nostrae s. versus 563—66 designant, suadente poëta, ut aliquis in convivio sapientioris viri lateri iunctus sit auresque bene praebeat, si quid ille praedicet. Dixeris in his de sermonibus et colloquio potius agi quam de carminum cantu. Quod non negaverim, cum et vv. 295—98 de mero colloquio cogitemus necesse sit, in quibus garruli hominis convivalis

conversatio respuitur. Videbimus autem, quae in ore convivalium fuisse credendum sit, ea etiam carminibus argumenta dedisse. Velut rixae etiam et hospitum salutationes et mera colloquia in cantu convivali locum habuerunt. Etiam versus 31—38 attendimus, quibus et combibonum collegium nobis ante oculos tanquam ponitur et aperte dicitur, fore ut ab iis quibuscum una bibendum sit, h. e. a bonis, aliquis bene instruatur. A bonis etiam ipsum Theognidem iis praeceptis instructum esse quae Cyrno daturus sit ex versibus 27—28 comperimus. Neque quod '*παῖς ἔτ' ἐών*' instructus est, impedimento mihi est, quominus convivalem eam quoque instructionem fuisse putem. *παῖς* enim etiam iuvenis appellari potuit, etsi potissimum erotico sensu ea appellatio adhibetur. Quae pro *νέος ἀνήρ* usurpatur versibus 1351—52:

Ὦ παῖ, μὴ κώμαζε, γέροντι δὲ πείθεο ἀνδρί.
οὔ τοι κωμάζειν σύμφορον ἀνδρὶ νέῳ.

Convivalia carmina praeceptiva antiquitus fuisse aliunde quoque comperimus. Velut etiam Plutarcho (Quaest. Conv. VII 8, 3) quaedam disseruntur de audiendarum in conviviis comoediarum fructu et utilitate, et Artemo apud Athenaeum XV p. 694 b ea scolia inprimis veteribus placuisse testatur quae utili quodam praecepto constent.[1]) Scolia autem, ut mittamus inquirere unde nata sit ea appellatio, convivalia carmina fuisse cum ex Aristophane planissime appareat, qui eo sensu hac appellatione utitur Vesparum vv. 1222 et 1240, tum diserte ab omnibus traditur. Cf. Etym. Magn. s. v. *σκολιά· τὰ συμποτικὰ ᾄσματα*, Phot. s. v. *σκολιόν· ἡ παροίνιος ᾠδή*, Hesych. s v. *σκολιόν· τὴν παροίνιον ᾠδὴν οὕτως ἔλεγον*, Eustath. 461, 22: *σκολιὸν εἰς αὐτοὺς (Ἀλκμαιωνίδας) ᾔδετο, ἤγουν μέλος τι ἐψάλλετο παροίνιον τοιοῦτον*, Cramer. Anecd. Oxon. IV 314, 6:

[1]) Respicimus haec quae ibi leguntur: *καλὴν δὲ ταύτην* (scil. *ᾠδήν*) *ἐνόμιζον τὴν παραίνεσίν τέ τινα καὶ γνώμην ἔχειν δοκοῦσαν χρησίμην εἰς τὸν βίον.*

καλεῖται (σκολιόν) δὲ ἐποίνιον. Neque absunt praecepta ab Atticis scoliis quae Athenaeus XV p. 694 c — 695 f. servavit, e quibus unum (14) ita se habet:

Ἀδμήτου λόγον, ὦ 'ταῖρε, μαθὼν τοὺς ἀγαθοὺς φίλει,
τῶν δειλῶν δ' ἀπέχου, γνοὺς ὅτι δειλοῖς ὀλίγα χάρις.

Quos versus posuimus, quia plane idem ibi praecipitur atque nostrae sylloges versibus 101—02 q. s.

Μηδείς σ' ἀνθρώπων πείσῃ κακὸν ἄνδρα φιλῆσαι,
Κύρνε· τί δ' ἔστ' ὄφελος δειλὸς ἀνὴρ φίλος ὤν;

Habemus igitur Theognideos versus eosque praeceptivos qui de sensu egregium in modum congruunt cum cantu convivali. Unde illorum saltem convivalis ratio mihi quidem iam perspicua fit. Neque enim mero casui hanc congruentiam tribuerim.

Praecepta a carmine convivali non aliena fuisse satis probabiliter mihi videor arguisse. Quod si verum est, inde nonnihil quod ipsius poëtae dictis confisi statuimus confirmatur, Theognidem ea carmina quibus Cyrnum allocutus est ad convivalem usum edidisse. Moralia enim praecepta praecipue in iis insunt, neque non erat, quod Isocrates in oratione ad Nicoclem § 43 de Hesiodi, Theognidis, Phocylidis praeceptis loqueretur voculam ille quidem usurpans *ὑποθῆκαι*, quocum conferas quod ipsi Theognidi dicitur v. 27: *Σοὶ δ' ἐγὼ εὖ φρονέων ὑποθήσομαι.* Eclogas autem quibus aliquid praecipiatur has invenimus inter eas quae Cyrnum appellant:

27—30, 61—68, 69—72, 75 - 76, 87—92, 101—04, 145—48, 159—60, 213 - 14, 219—20, 323 - 28, 331—32, 333—34, 335—36, 355 - 58, 359 - 60, 371—72, 409—10, 897—900, 1197—80, 1217—18.

Neque vero omnes designavimus, sed eas tantum de quibus dubitari non potest. Perscribimus has deinde, in quibus praeceptivam vim quandam percipimus, quamquam imperativa forma abest.

131—32: *Οὐδὲν ἐν ἀνθρώποισι πατρὸς καὶ μητρὸς ἄμεινον*
ἔπλεθ', ὅσοις ὁσίη, Κύρνε, μέμηλε δίκη.

143—44: *Οὐδείς πω ξεῖνον, Πολυπαΐδη,*[1]) *ἐξαπατήσας*
οὐδ' ἱκέτην θνητῶν ἀθανάτους ἔλαθεν.

151—52: *Ὕβριν, Κύρνε, θεὸς πρῶτον κακὸν ὤπασεν ἀνδρί,*
οὗ μέλλει χώρην μηδεμίαν θέμεναι.

329—30: *Καὶ βραδὺς εὔβουλος καθέλεν ταχὺν ἄνδρα διώκων,*
Κύρνε, σὺν ἰθείῃ θεῶν δίκῃ ἀθανάτων.

631—32: *Ὧιτ' ἔνι μὴ θυμοῦ κρέσσων νόος, αἰὲν ἐν ἄταις,*
Κύρνε, καὶ ἐν μεγάλαις κεῖται ἀμηχανίαις.

821—22: *Οἳ δ' ἀπὸ γηράσκοντας ἀτιμάζουσι τοκῆας,*
τούτων τοι χώρη, Κύρν', ὀλίγη τελέθει.

895—96: *Γνώμης δ' οὐδὲν ἄμεινον ἀνὴρ ἔχει αὐτὸς ἐν αὐτῷ*
οὐδ' ἀγνωμοσύνης, Κύρν', ὀδυνηρότερον.

1177—78: *Εἴ κ' εἴης ἔργων αἰσχρῶν ἀπαθὴς καὶ ἀεργός,*
Κύρνε, μεγίστην κεν πεῖραν ἔχοις ἀρετῆς.

1223—24: *Οὐδέν, Κύρν', ὀργῆς ἀδικώτερον, ἣ τὸν ἔχοντα*
πημαίνει, θυμῷ δειλὰ χαριζομένη.

Praecepta igitur in his exuunt imperativam formam, induunt vero speciem brevis sententiae vel *γνώμης*, ut Graecam appellationem usurpem. Nec non *γνώμας* etiam convivas '*παρὰ μέρος ἑξῆς μυρρίνας ἔχοντας*' cecinisse Aristoxenus et Phyllis testantur ap. Suid. s. v. *σκολιόν*. Quae cum ita sint, etiam Isocratis haec verba quae in orat. ad Nicoclem § 43 exstant:

σημεῖον δ' ἄν τις ποιήσαιτο τὴν Ἡσιόδου καὶ Θεόγνιδος καὶ Φωκυλίδου ποίησιν. καὶ γὰρ τούτους φασὶ μὲν ἀρίστους γεγενῆσθαι συμβούλους τῷ βίῳ τῷ τῶν ἀνθρώπων, ταῦτα δὲ λέγοντες αἱροῦνται συνδιατρίβειν ταῖς ἀλλήλων ἀνοίαις μᾶλλον ἢ ταῖς ἐκείνων ὑποθήκαις. ἔτι δ' εἴ τις ἐκλέξειε τῶν προεχόντων ποιητῶν τὰς καλουμένας γνώμας, ἐφ' αἷς ἐκεῖνοι μάλιστ' ἐσπούδασαν, ὁμοίως

---

[1]) Eundem esse Polypaidem atque Cyrnum ex eo apparet, quod vv. 19—26, 53—60, 183—92 utraque appellatio inserta est.

> *ἂν καὶ πρὸς ταύτας διατεθεῖεν. ἥδιον γὰρ ἂν κωμῳδίας τῆς φαυλοτάτης ἢ τῶν οὕτω τεχνικῶς πεποιημένων ἀκούσαιεν.*

de convivali usu qui Isocratis temporibus fuerit mihi accipiuntur. Accedit quod comoedias, quas quod praeferant hoc loco ei exprobrantur qui optimorum poëtarum carmina atque etiam inde petitas *γνώμας* iam fastidiant, ipsas quoque in conviviis auditas esse ex iis quae Plutarchus Quaest. Conv. VII 8, 3 exponit manifestum est.

Ceterum dum haec Isocratis dicta intueor, valde dubito quam recte illud sincera mente nobis teneatur quod posteri ut Clemens Alexandrinus (cf. et Suidam s. v. *Θέογνις*) de Theognidis poësi produnt, quibus ille '*γνωμολογίαν*' ad Cyrnum scripsisse dicitur. Quid? Nonne videmus *γνώμης* minime similes esse versus 19—26, 43—52, 53—60, 183—92, 237—54, 323—28, 337—40, 549—54, 805—10, 833—36, qui tamen Cyrnum appellant? Id demum mihi constat, *γνώμας* ex usu convivali fuisse non antiquae illius quidem sed recentioris aetatis. Posteris enim temporibus Theognidea praecepta in breviorem formam redacta esse, ut usui convivali qui tunc fuerit aptiores essent, ex Isocratis illo loco colligi posse existimem. Sed haec hactenus de gnomica poësi, quam nunc non respicimus nisi praeceptiva est!

§ 3. Praeceptivi versus a quibus Cyrni nomen abest.

Praeter eos versus quibus Cyrnus appellatur si qui alii in nostra sylloge exstant quibus praecepta dentur, eos omnes ad convivalem usum referre iam nobis licebit, si quidem praecepta in conviviis antiquitus audita sunt, eosque in primis quos praeceptivos esse diserta verba praeterea declarant. Qualia haec observamus, quae in his eclogis occurrunt:

ταῦτα μαθὼν ἀγαθοῖσιν ὁμίλεε καί ποτε φήσεις | εὖ συμβουλεύειν τοῖσι φίλοισιν ἐμέ in vv. 31—38, *σὺ δέ μοι, φίλε, ταῦτ᾽ ἐνὶ θυμῷ | φράζεο καί ποτ᾽ ἐμοῦ μνήσεαι ἐξοπίσω* in vv. 97—100 (nisi forte cum antecedenti ecloge illi coniungendi sunt), *αἰεὶ τῶνδ᾽ ἐπέων μεμνημένος· ἐς δὲ τελευτήν | αἰνήσεις μύθῳ σώφρονι πειθόμενος* in vv. 753—56, *σοὶ δ᾽ ἐγὼ οἷά τε παιδὶ πατὴρ ὑποθήσομαι αὐτός | ἐσθλά· σὺ δ᾽ ἐν θυμῷ καὶ φρεσὶ ταῦτα βάλευ* in vv. 1049—54.

Hanc igitur rationem sequimur, ut in universum praeceptivos versus ad convivalem poësim revocemus, neque recedimus ab ista ratione, etsi in iis novae interdum sententiae se offerunt quibus Cyrni sphragide insigniti nulli respondent. An non maxime suspecti ii quoque sunt, qui convivalem usum habuerint, quibus bonos mores convivalibus et modicam bibendi rationem poëta commendat nonnunquam (ut vv. 467—96) et se ipsum convivii participem esse ostendens et convivas alloquens? Quae convivalia carmina fuisse apertum est, quamvis Cyrni nomine notatis versibus praeceptum tale non detur.

Occurrunt etiam in his qui speciem praebeant brevis sententiae. Quales hos observamus:

211—12: *Οἶνόν τοι πίνειν πουλὺν κακόν· ἢν δέ τις αὐτόν*
πίνῃ ἐπισταμένως, οὐ κακός, ἀλλ᾽ ἀγαθός.

497—98: *Ἄφρονος ἀνδρὸς ὁμῶς καὶ σώφρονος οἶνος, ὅταν δή*
πίνῃ ὑπὲρ μέτρον, κοῦφον ἔθηκε νόον.

627—28: *Αἰσχρόν τοι μεθύοντα παρ᾽ ἀνδράσι νήφοσι μεῖναι,*
αἰσχρὸν δ᾽ εἰ νήφων παρ μεθύουσι μένοι.

§ 4. Stasiotici et sodalicii versus.

Si praeceptivi nostrae sylloges versus ad eum finem editi sunt, ut a potoribus in convivio audirentur, istos

potores *'ἄνδρας ἀγαθούς'* fuisse ex his versibus qui in eo numero inveniuntur apparet:

31—39: *Ταῦτα μὲν οὕτως ἴσθι · κακοῖσι δὲ μὴ προσομίλει*
ἀνδράσιν, ἀλλ' αἰεὶ τῶν ἀγαθῶν ἔχεο.
καὶ μετὰ τοῖσιν πῖνε καὶ ἔσθιε καὶ μετὰ τοῖσιν
ἷζε καὶ ἅνδανε τοῖς · κτλ.

611—14: *Οὐ χαλεπὸν ψέξαι τὸν πλησίον, οὐδὲ μὲν αὐτόν*
αἰνῆσαι · δειλοῖς ἀνδράσι ταῦτα μέλει.
σιγᾶν δ' οὐκ ἐθέλουσι κακοὶ κακὰ λεσχάζοντες
οἱ δ' ἀγαθοὶ πάντων μέτρον ἴσασιν ἔχειν.

657—58: *Μηδὲν ἄγαν χαλεποῖσιν ἀσῶ φρένα μηδ' ἀγαθοῖσιν*
χαῖρ', ἐπεὶ ἔστ' ἀνδρὸς πάντα φέρειν ἀγαθοῦ.

1025—26: *Δειλοί τοι κακότητι ματαιότεροι νόον εἰσίν,*
τῶν δ' ἀγαθῶν αἰεὶ πρήξιες ἰθύτεραι.

Monent deinde vv. 365—66 et 1029—30, ne quis mores teneat eorum qui vocantur *δειλοί.* In praeceptivis et vv. 319—22 ponas q. s.

Κύρν', ἀγαθὸς μὲν ἀνὴρ γνώμην ἔχει ἔμπεδον αἰεί,
τολμᾷ δ' ἔν τε κακοῖς κείμενος ἔν τ' ἀγαθοῖς·
εἰ δὲ θεὸς κακῷ ἀνδρὶ βίον καὶ πλοῦτον ὀπάσσῃ,
ἀφραίνων κακίην οὐ δύναται κατέχειν.

Videamus et alios vv. praeter praeceptivos! Cupit etiam ille qui vv. 789—92 loquitur, ut *'μετὰ τῶν ἀγαθῶν'* h. e. 'in societate bonorum' probum rectumque semper se praestet. Denique in coetu bonorum ille versatur qui vv. 667—82 edidit atque etiam loqui ibi videtur. Dicit enim v. 681:

ταῦτά μοι ᾐνίχθω κεκρυμμένα τοῖς ἀγαθοῖσιν,

et initio horum versuum hoc de se profitetur:

Εἰ μὲν χρήματ' ἔχοιμι, Σιμωνίδη, οἷά περ ἤδη,
οὐκ ἂν ἀνιῴμην τοῖς ἀγαθοῖσι συνών·

Simonidem autem ibi appellat, quem eundem fuisse dixeris atque illum qui v. 469 ut combibo in convivio poëtae hoc nomine appellatur. Unde concludimus nostro quoque loco in convivio verba fieri, ita ut convivale fuerit collegium

illud bonorum; neque non tale collegium vv. 31—39 nobis ante oculos tanquam componunt. Iam et politico sensu bonos illos intellegendos esse in conspectum venit, si quidem istis versibus qui in eo collegio auditi sunt (dico vv. 667—82) rei publicae male se habentis status poëtae describitur (navis laborantis imagine) atque in ea descriptione verba occurrunt *κακοὶ δ' ἀγαθῶν καθύπερθεν.* Alius deinde locus in nostra s. exstat, quem si adhibueris, miraberis certe, quod Hillerus (Jahrb. f. klass. Phil. 1881 p. 461 sq., Jahresber. f. klass. Altert. 1888 p. 138) ausus est a vocibus *ἀγαθός, κακός, ἐσθλός, δειλός* politicum sensum totum abiudicare, dico versum 893 q. e.

οἱ δ' ἀγαθοὶ φεύγουσι, πόλιν δὲ κακοὶ διέπουσιν.

Inveniuntur et ii loci ubi morali sensu has voculas usurpatas esse planissime appareat, sed hoc loco nonnisi politico sensu intellegi possunt. Erant igitur non solum in bibendo sodales sed idem etiam in re publica sentiebant quorum in usum convivalem ea carmina facta sunt quae convivalia esse perspeximus. Nobiles illi erant a quibus Theognidea praecepta audiebantur, quae ipse Theognis a bonis acceperat (vid. v. 27—28). Quibus praeceptis id assequi studet, ut nobiles etiam in moribus boni probique sint atque pergant id esse. Ab illis enim antiquitus virtus colebatur (resp. vv. 315—18, 465—66, 865—68). Itaque voces *ἀγαθοί, ἐσθλοί* et morali sensu et simul politico mihi intelleguntur, praesertim in Theognideis versibus, ubi nonnunquam uterque intellectus etiam sentiri potest, ut vv. 31—39 moralem sensum agnoscere debeas cum poëta dicit:

ἐσθλῶν μὲν γὰρ ἄπ' ἐσθλὰ μαθήσεαι

et simul politicum, si quidem combibonum collegium nobis ante oculos ponit, quod nobilibus constitisse consentaneum est neque solum quibusdam hominibus qui coniuncti sibi fuerint aemulatione virtutis.

Nobiles igitur illi erant quorum in usum convivalem ea carmina facta sunt quae convivalia esse nobis persuasimus.

Itaque aequum erit et ea carmina inter convivalia referre quae Graeco nomine possis appellare ‘*στασιωτικά*’, quae sunt ea quae ad rem publicam pertineant et in partium studio versentur. In quibus et inveniuntur quibus Cyrnus appelletur, unde rursus intellegas Theognidem ea carmina quibus Cyrnum alloquitur ad convivalem usum edidisse.

Videamus primum Theognidis illos versus! Initium facimus a vv. 183—92 q. s.

Κριοὺς μὲν καὶ ὄνους διζήμεθα, Κύρνε, καὶ ἵππους
εὐγενέας, καί τις βούλεται ἐξ ἀγαθῶν
βήσεσθαι· γῆμαι δὲ κακὴν κακοῦ οὐ μελεδαίνει
ἐσθλὸς ἀνήρ, ἤν οἱ χρήματα πολλὰ διδῷ.
οὐδὲ γυνὴ κακοῦ ἀνδρὸς ἀναίνεται εἶναι ἄκοιτις
πλουσίου, ἀλλ᾽ ἀφνεὸν βούλεται ἀντ᾽ ἀγαθοῦ.
χρήματα γὰρ τιμῶσι· καὶ ἐκ κακοῦ ἐσθλὸς ἔγημεν,
καὶ κακὸς ἐξ ἀγαθοῦ· πλοῦτος ἔμιξε γένος.
οὕτω μὴ θαύμαζε γένος, Πολυπαΐδη, ἀστῶν
μαυροῦσθαι· σὺν γὰρ μίσγεται ἐσθλὰ κακοῖς.

Ex his proficiscendum mihi videtur ut quid sibi velint vv. 53 sqq. intellegamus qui sunt

Κύρνε, πόλις μὲν ἔθ᾽ ἥδε πόλις, λαοὶ δὲ δὴ ἄλλοι·
οἳ πρόσθ᾽ οὔτε δίκας ᾔδεσαν οὔτε νόμους,
ἀλλ᾽ ἀμφὶ πλευρῇσι δορὰς αἰγῶν κατέτριβον,
ἔξω δ᾽ ὥστ᾽ ἔλαφοι τῆσδ᾽ ἐνέμοντο πόλεος,
καὶ νῦν εἴσ᾽ ἀγαθοί, Πολυπαΐδη, οἱ δὲ πρὶν ἐσθλοί
νῦν δειλοί. κτλ.

In his igitur politico sensu voces *ἀγαθός*, *ἐσθλός*, *κακός* accipiendas esse pro certo ducas, cum dubitari posse concedam, num nobiles ei qui boni vocantur intellegendi sint, si Theognis ita loquitur vv. 43—52:

Οὐδεμίαν πω, Κύρν᾽, ἀγαθοὶ πόλιν ὤλεσαν ἄνδρες·
ἀλλ᾽ ὅταν ὑβρίζειν τοῖσι κακοῖσιν ἅδῃ,
δῆμόν τε φθείρωσι, δίκας τ᾽ ἀδίκοισι διδῶσιν
οἰκείων κερδέων εἵνεκα καὶ κράτεος,

ἔλπεο μὴ δηρὸν κείνην πόλιν ἀτρεμιεῖσθαι,
μηδ᾽ εἰ νῦν πολλῇ κεῖται ἐν ἡσυχίῃ,
εὖτ᾽ ἂν τοῖσι κακοῖσι φίλ᾽ ἀνδράσι ταῦτα γένηται,
κέρδεα δημοσίῳ σὺν κακῷ ἐρχόμενα.
ἐκ τῶν γὰρ στάσιές τε καὶ ἔμφυλοι φόνοι ἀνδρῶν
μούναρχοί θ᾽· ἃ πόλει μήποτε τῇδε ἅδοι.

Ibi enim *κακοὶ ἄνδρες* non tam populares sunt quam factiosi homines qui plebis favorem sibi conciliare student. Crediderim vero Theognidi hoc loco, cum haec ambitio a nobilibus vel ab iis qui re vera atque ex eius sententia nobiles fuerint alienissima videatur fuisse, illos, quamvis sibi ipsi nobiles visi sint, non iam agnosci et *κακούς* appellari.[1]) Cui aliam quandam capessendae rei publicae rationem quam nobiles sequerenter in animo fuisse vv. 233—34 detegunt q. s.

Ἀκρόπολις καὶ πύργος ἐὼν κενεόφρονι δήμῳ,
Κύρν᾽, ὀλίγης τιμῆς ἔμμορεν ἐσθλὸς ἀνήρ.

Haec est ea ratio qua non suis commodis inserviant qui aliquid in re publica valeant. Quam minus fecundam fuisse consentaneum sane est. Theognis vero id egit, ut nobiles ab improbe factis detineret (cf. vv. 1177—78), ut re vera boni probique fierent. Ceterum improbitatem (*κακότητα*) eorum qui *δήμου ἡγεμόνες* vocantur praeterea vv. 39—42 (qui ipsi Theognidis sunt) et 855—56 agnoscunt. Conf. quod Solon dicit fr. 4, 7 (Bgk.) *δήμου θ᾽ ἡγεμόνων ἄδικος νόος.*

Inveniuntur in nostra s. et stasiotici versus a quibus Cyrni nomen abest. Quales sunt vv. 525—26:

Καὶ γάρ τοι πλοῦτον μὲν ἔχειν ἀγαθοῖσιν ἔοικεν.
ἡ πενίη δὲ κακῷ σύμφορος ἀνδρὶ φέρειν.

Ponas in eo numero et vv. 667—82 propter verba

κακοὶ δ᾽ ἀγαθῶν καθύπερθεν

[1]) Conf. quod v. 636 de bonis dicitur:
οἳ νῦν ἐν πολλοῖς ἀτρεκέως ὀλίγοι.

et vv. 891—94, in quibus haec occurrunt:

οἱ δ' ἀγαθοὶ φεύγουσι . πόλιν δὲ κακοὶ διέπουσιν.

Eclogas has stasioticas, ut Graecum nomen retineamus, convivalia carmina fuisse contendimus. Accedit autem ut ita sentiamus ea ratio quod idem partium studium nobis percipitur in poësi scoliorum. Quod ita nunc attendimus, ut quam arte iunctum fuerit cum odio tyrannidis simul respiciamus. Ut enim Spartani nobilitatis semper fautores et simul tyrannidi infestissimi fuerunt,[1]) ita cum illo odio consociatam invenimus nobilium partium defensionem et in nostra sylloge et in poësi scoliorum. E scolio igitur Alcaei, qui nobilis fuit in civitate Lesbiaca, haec verba afferuntur Aristoteli (Polit. III 14, 1285a, 37—40):

τὸν κακοπάτριδα[2])
Πίττακον πόλιος τᾶς [ζ]αχόλω καὶ βαρυδαίμονος
ἐστάσαντο τύραννον μεγ' ἐπαινέοντες ἀόλλεες.

Et alio scolio quod Aristophanes memorat Vesparum v. 1234 sq. ambitiosum quendam hominem ille poëta ita inclamat:

Ὤνθρωφ' οὗτος ὁ μαιόμενος τὸ μέγα κράτος,
ἀντρέψεις ἔτι τὰν πόλιν · ἁ δ' ἔχεται ῥοπᾶς.

Unde etiam apparet Alcaei cantica ea quae grammatici vocant *στασιωτικά* non carminum genus quoddam quod a scoliis diversum fuerit complevisse. Idem studium nobis percipitur in Atticis scoliis ab Athenaeo p. 694c — 695f servatis. Quae a bonis in convivio cantata esse scolium 23 testatur q. e.

Ἔγχει καὶ Κήδωνι, διάκονε, μηδ' ἐπιλήθου,
εἰ δὴ χρὴς ἀγαθοῖς ἀνδράσιν οἰνοχοεῖν.

---

[1]) Cf. de Spartanorum tyrannidis odio Herod. V 92, Thucyd. I 18, de oligarchiae eorum studio Thucyd. I 19.

[2]) Negat nobili loco Pittacum natum esse, cum ita eum designat; cf. quod *κακόπατρις* eo sensu et nostrae s. v. 193 usurpatur.

Nec non tyrannidi ista scolia etiam adversantur. Scoliis enim 10, 11, 12, 13 Harmodius et Aristogito, a quibus Hipparchus Hippiae tyranni frater occisus erat, summis ob eam rem laudibus efferuntur, et scolio 24 mortui illi deplorantur qui apud Lipsydrium malo eventu contra Pisistratum pugnaverant (conf. Etym. M. 361, 31), quos ipsos nobiles fuisse comperimus, cum *εὐπατρίδαι* vocentur. Videamus nunc nostram syllogen! Coniunctum ibi quoque tyrannidis odium invenimus cum nobilium partium defensione. Velut Theognis vv. 39—42 metuit, ne tyrannus a gravida re publica procreetur, cum et v. 52 tyrannidem ab ea deprecetur, ubi in antecedentibus bonis h. e. nobilibus aliquid praecipi videtur, definiente poëta quales non debeant esse. Taedium tyrannidis deinde vv. 823—24, 1181—82, 1203—06 ostendunt, a quibus Cyrni nomen abest. Quos omnes convivali usui vindicabimus, stasioticorum nomine et illos comprehendentes. Neque dubitamus vv. 847—50 iis attribuere, in quibus populus *κενεόφρων* vocatur et *φιλοδέσποτος*. Bonis etiam favent et simul Cypselidum genus detestantur vv. 891—94.

(Sodalicii versus.)

Occultius deinde alii versus haud pauci in eodem partium studio versantur, quos artiore sodaliciorum nomine comprehendere possis. Qui ut agnoscantur, quaedam liceat praemittere.

Convivae Graecis vocabantur '*ἑταῖροι*', velut Pindarus dicit (Ol. 9, 6) *κωμάζοντι φίλοις Ἐφαρμόστῳ σὺν ἑταίροις* et Plato in Republ. (VII p. 568e) *αὐτός τε καὶ οἱ συμπόται καὶ ἑταῖροι καὶ ἑταῖραι*. Neque abest a convivalibus canticis appellatio *ὦ ἑταῖρε*. Quae bis in Atticis scoliis (14 et 20 ap. Athenaeum) occurrit, cum *φίλ' ἑταῖρε* nostrae sylloges v. 753 exstet in ecloge praeceptiva. Praeceptivos autem versus ad convivalem usum revocandos esse supra

(§ 2) nobis persuasimus. Potores ἑταίρους appellatos esse et ex versibus 643—44 intellegi licet q. s.

Πολλοὶ παρ κρητῆρι φίλοι γίγνονται ἑταῖροι,
ἐν δὲ σπουδαίῳ πρήγματι παυρότεροι.

Dispicimusne iam poëtae rationem qua haec ediderit? Erant non solum in bibendo sodales qui ea carmina canere solebant quae convivalia esse intelleximus, sed seria etiam communicabant. Qui iisdem partium studiis tenebantur, ut supra iam statuimus. Unde, si quid sentimus, politicus vocis ἑταῖρος intellectus ortus est. Postea enim voces ἑταῖροι, ἑταιρικοί, ἑταιρία in merum sensum coniuratorum hominum abierunt, ita tamen ut de nobilibus potissimum usitatae fuerint, velut Thucydidi (VIII 48 et 65) oligarchi qui anno 411 contra populare imperium coniuraverant ἑταῖροι vocantur, et in Demosthenis oratione in Steph. II p. 1137 § 26 in lege dicitur ἑταιρία ἐπὶ καταλύσει τοῦ δήμου. Politicum sensum et simul convivalem etiam agnoscimus, si Lipsydrium, qui locus dissidentium a Pisistrato nobilium cladem viderat, προδωσέταιρον ob eam rem in Attico scolio 24 (ap. Athen.) vocatur.

Politici eiusmodi sodalicii participes artius inter se iunctos fuisse credendum est, ponimusque huc quod Thucydides scripsit III 82, ubi de excitatis in Corcyrensium re publica verba fiunt:

καὶ μὴν καὶ τὸ ξυγγενὲς τοῦ ἑταιρικοῦ ἀλλοτριώτερον
ἐγένετο διὰ τὸ ἑτοιμότερον εἶναι ἀπροφασίστως τολμᾶν.

Hinc intelligitur quid sibi velit in canticis convivalibus scolium Atticum 25 (ap. Athenaeum) q. e.

Ὅστις ἄνδρα φίλον μὴ προδίδωσιν, μεγάλαν ἔχει
τιμὰν ἔν τε βροτοῖς ἔν τε θεοῖσιν κατ᾽ ἐμὸν νόον.

Qui versus haud dubie concordiam istam sodaliciam attinent, quamquam vox 'ἑταῖρος' ibi abest. Quae rursus occurrit nostrae sylloges versibus 529—30, quos nunc subiicimus quia in argumento cum isto scolio concinunt.

Οὐδένα πω προὔδωκα φίλον καὶ πιστὸν ἑταῖρον,
οὐδ᾽ ἐν ἐμῇ ψυχῇ δούλιον οὐδὲν ἔνι.

Iam apparet et hos versus inter convivalia carmina nobis referendos esse, nisi forte rursus hanc similitudinem alicui casui tribuis. Unde plures etiam in eam suspicionem nobis veniunt, ut ibi de arta sodalium coniunctione et de praestanda sodalicia in rebus arduis fide poëta cogitaverit. Rursusque Theognideos versus ad convivalem usum factos esse intellegas, si quidem qui Cyrnum appellent in illis inveniuntur. Videntur autem hi versus artiorem sodalium coniunctionem detegere:

97—100:[1] *Ἀλλ᾽ εἴη τοιοῦτος ἐμοὶ φίλος, ὃς τὸν ἑταῖρον*
γινώσκων ὀργὴν καὶ βαρὺν ὄντα φέρει
ἀντὶ κασιγνήτου,[2] *σὺ δέ μοι, φίλε, ταῦτ᾽ ἐνὶ θυμῷ*
φράζεο, καί ποτ᾽ ἐμοῦ μνήσεαι ἐξοπίσω.

323—28: *Μή ποτ᾽ ἐπὶ σμικρῇ προφάσει φίλον ἄνδρ᾽ ἀπολέσσαι*
πειθόμενος χαλεπῇ, Κύρνε, διαβολίῃ.
εἴ τις ἁμαρτωλῇσι φίλων ἐπὶ παντὶ χολῷτο,
οὔ ποτ᾽ ἂν ἀλλήλοις ἄρθμιοι οὐδὲ φίλοι
εἶεν · κτλ.

655—56: *Σύν σοί, Κύρνε, παθόντι κακῶς ἀνιώμεθα πάντες·*
ἀλλά τοι ἀλλότριον κῆδος ἐφημέριον.

1083—84: — — *χρὴ τόν γ᾽ ἐσθλόν* — — *νόημα*
ἔμπεδον αἰὲν ἔχειν ἐς τέλος ἀνδρὶ φίλῳ.

Quod praesertim ad praestandam sodaliciam fidem attinet, deprehendimus iam vv. 529—30, quibus se nunquam sodalibus defuisse de se poëta gloriatur. Quibus adiungimus versus 79—82, Polypaïdis h. e. Cyrni[3]) appellatione insignes,

[1]) Quaestionem difficilem num hi versus cum superioribus coniungendi sint non attingo.

[2]) Cfr. Thucydidis dicta modo allata.

[3]) Eundem Polypaïdem esse atque Cyrnum inde intellegi licet, quod vv. 19—26, 53—60, 183—92 utraque appellatio inserta est.

quibus Theognis infirmitatem et perfidiam sodalium conqueritur ita loquens:

Παύρους εὑρήσεις, Πολυπαΐδη, ἄνδρας ἑταίρους
πιστοὺς ἐν χαλεποῖς πρήγμασι γινομένους,
οἵτινες ἂν τολμῷεν, ὁμόφρονα θυμὸν ἔχοντες,
ἶσον τῶν ἀγαθῶν τῶν τε κακῶν μετέχειν.

Possis in his dicta *ἐν χαλεποῖς πρήγμασι* in generalem sensum accipere, sed subesse nobis videtur politicus sensus, ita ut de turbis civilibus poëta cogitaverit, si eos versus aspicimus qui proxime antecedunt Cyrni nomine et ipsi notati. Illi enim in eodem argumento versantur, nisi quod politicus sensus ibi planissime apparet. Sunt autem hi versus:

Πιστὸς ἀνὴρ χρυσοῦ τε καὶ ἀργύρου ἀντερύσασθαι
ἄξιος ἐν χαλεπῇ, Κύρνε, διχοστασίῃ.

Et illustrationem afferunt vv. 209—10 q. s.

Οὐκ ἔστιν φεύγοντι φίλος καὶ πιστὸς ἑταῖρος·
τῆς δὲ φυγῆς ἐστὶν τοῦτ᾽ ἀνιηρότατον.

Quae dum contueor, suspicor politicum sensum etiam in his versibus latere, quibus in eandem sententiam poëta loquitur:

571—72: *Δόξα μὲν ἀνθρώποισι κακὸν μέγα, πεῖρα δ᾽ ἄριστον·*
πολλοὶ ἀπείρητοι δόξαν ἔχουσ᾽ ἀγαθῶν.
641—42: *Οὔ τοι κ᾽ εἰδείης οὔτ᾽ εὔνουν οὔτε τὸν ἐχθρόν,*
εἰ μὴ σπουδαίου πρήγματος ἀντιτύχοις.
979—80: *Μή μοι ἀνὴρ εἴη γλώσσῃ φίλος, ἀλλὰ καὶ ἔργῳ·*
χερσίν τε σπεύδειν χρήμασί τ᾽, ἀμφότερα.

Nondum omnes eiusmodi versus recensuimus qui eum sensum exprimant, sed hos separatim attendisse iuvabit, qui praeterea convivalem sodalium naturam contingunt:

115—16: *Πολλοί τοι πόσιος καὶ βρώσιός εἰσιν ἑταῖροι,*
ἐν δὲ σπουδαίῳ πρήγματι παυρότεροι.
643—44: *Πολλοὶ παρ κρητῆρι φίλοι γίνονται ἑταῖροι,*
ἐν δὲ σπουδαίῳ πρήγματι παυρότεροι.
981—82: *Μηδὲ παρὰ κρητῆρι λόγοισιν ἐμὴν φρένα θέλγοις,*
ἀλλ᾽ ἔρδων φαίνοι᾽, εἴ τι δύναι᾽, ἀγαθόν.

In sodaliciis versibus etiam eos ponimus qui, illis haud dissimiles, amicitiam mentientes tamen et simulantes potius vituperant quam eos qui sodalibus opitulari recusent. Quales sunt vv. 93—96 qui ita se habent:

Ἤν τις ἐπαινήσῃ σε τόσον χρόνον ὅσσον ὁρῴης,
νοσφισθεὶς δ᾽ ἄλλῃ γλῶσσαν ἵῃσι κακήν,
τοιοῦτός τοι ἑταῖρος ἀνὴρ φίλος οὔ τι μάλ᾽ ἐσθλός,
ὅς κ᾽ εἴπῃ γλώσσῃ λῷα, φρονῇ δ᾽ ἕτερα.

Quorum ratio convivalis praeterea nobis constat. Sunt enim praeceptivi, in quibus quales debeant esse sodalibus praescribitur. Ceterum etiam in his *ἐπαινεῖν τόσον χρόνον ὅσσον ὁρῴης* ita facile accipias, ut de sodali qui in convivio adsit poëta cogitaverit, idemque illud valeat atque *παρὰ κρητῆρι νόον θέλγειν*, quod v. 981 dictum invenimus. Simulatores, qui *κίβδηλοι* vocantur, etiam versus 963—70 pervellunt, et adesse dixeris praesentem quem in extrema huius ecloges parte poëta ita increpitat:

ἔφθην σ᾽ αἰνήσας, πρίν σου κατὰ πάντα δαῆναι
ἤθεα.

Circumspexerat etiam Theognis, ne quis simulator inter sodales sederet, id quod versus hi patefaciunt, quibus Cyrnum alloquitur:

87—92: *Μή μ᾽ ἔπεσιν μὲν στέργε, νόον δ᾽ ἔχε καὶ φρένας ἄλλας,*
εἴ με φιλεῖς καί σοι πιστὸς ἔνεστι νόος.
ἤ με φίλει καθαρὸν θέμενος νόον, ἤ μ᾽ ἀποειπὼν
ἔχθαιρ᾽, ἀμφαδίην νεῖκος ἀειράμενος.
ὃς δὲ μιῇ γλώσσῃ δίχ᾽ ἔχει νόον, οὗτος ἑταῖρος
δειλός, Κύρν᾽, ἐχθρὸς βέλτερος ἢ φίλος ὤν.
117—18: *Κιβδήλου δ᾽ ἀνδρὸς γνῶναι χαλεπώτερον οὐδέν,*
Κύρν᾽, οὐδ᾽ εὐλαβίης ἐστὶ περὶ πλέονος.
119—28: *Χρυσοῦ κιβδήλοιο καὶ ἀργύρου ἄνσχετος ἄτη,*
Κύρνε, καὶ ἐξευρεῖν ῥᾴδιον ἀνδρὶ σοφῷ.
εἰ δὲ φίλου νόος ἀνδρὸς ἐνὶ στήθεσσι λελήθῃ
ψυδρὸς ἐών, δόλιον δ᾽ ἐν φρεσὶν ἦτορ ἔχῃ,

τοῦτο θεὸς κιβδηλότατον ποίησε βροτοῖσιν,
καὶ γνῶναι πάντων τοῦτ' ἀνιηρότατον . κτλ.

Quibus subiicimus duo cantica ex Atticis scoliis, ut apertissimum sit nos rectos esse in eruendis carminibus quae in conviviis audita sint.

Scol. 6 (7 ap. Bgk.): *Εἴθ' ἐξῆν ὁποῖός τις ἦν ἕκαστος*
τὸ στῆθος διελόντ', ἔπειτα τὸν νοῦν
ἐσιδόντα, κλείσαντα πάλιν,
ἄνδρα φίλον νομίζειν ἀδόλῳ φρενί.

Scol. 9 (16 ap. Bgk.): *Ὁ καρκίνος ὧδ' ἔφα*
χαλᾷ τὸν ὄφιν λαβών·
εὐθὺν χρὴ τὸν ἑταῖρον ἔμμεν
καὶ μὴ σκολιὰ φρονεῖν.

Nonne idem sensus in his quoque percipitur? Num hoc casui tribuimus? Mirum omnino est, quantopere in sententiarum argumentis cum nostrae s. eclogis ista scolia consentiant, id quod iam vidimus in superioribus et saepius etiam videbimus. Velut, ut etiam pergamus eos versus observare qui ad sodalicium pertineant, scolio 14 (21 ap. Bgk.) prorsus idem praecipitur atque nostrae s. vv. 31—38, 101—04, 113—14, dissuadentibus ne quis improbum hominem in sodalitatem asciscat. Quam congruentiam non fortuito evenisse dudum suspicabamur (cf. p. 10).

Sodalicium illud nobilium, quod agnoscimus non Theognideos versus tantum sed totam syllogen iam spectantes, quale fuerit ingenio habituque etiam dispicere posse nobis videmur. Velut nunc pauperes plerosque eos fuisse attendimus. Quam miseriam iam Theognidi curae fuisse versus 173—78 tibi patefaciant q. s.

Ἄνδρ' ἀγαθὸν πενίη πάντων δάμνησι μάλιστα
καὶ γήρως πολιοῦ, Κύρνε, καὶ ἠπιάλου,
ἣν δὴ χρὴ φεύγοντα καὶ ἐς βαθυκήτεα πόντον
ῥιπτεῖν καὶ πετρέων, Κύρνε, κατ' ἠλιβάτων.

καὶ γὰρ ἀνὴρ πενίῃ δεδμημένος οὔτε τι εἰπεῖν
οὔθ' ἔρξαι δύναται, γλῶσσα δέ οἱ δέδεται.

Quibus adde duo disticha sequentia, quibus item Cyrnus appellatur. Sed videamus graviora! Nobilis et simul pauper ille fuit qui vv. 667—82 edidit, quibus Simonidem alloquitur. Aspiciamus et vv. 683—86, qui deinceps leguntur.

Πολλοὶ πλοῦτον ἔχουσιν ἄϊδριες· οἱ δὲ τὰ καλά
ζητοῦσιν χαλεπῇ τειρόμενοι πενίῃ.
ἔρδειν δ' ἀμφοτέροισιν ἀμηχανίη παράκειται·
εἴργει γὰρ τοὺς μὲν χρήματα, τοὺς δὲ νόος.

Qui illis ex responsionis ratione subiecti videntur, utpote qui ad eandem sententiam faciant. Illum enim morem convivalem infra agnoscemus (§ 15), ut quae cantica in argumento conveniant se exceperint. Quodsi quaeritur qui illi sint qui meliora ibi dicuntur sectari, nobiles illos intellegendos esse existimem, et populares eos qui *ἄϊδριες* vocantur, si quidem nobilem eum agnoscimus qui in antecedenti ecloge queritur quod, cum intellectus sibi non desit, propter paupertatem nihil valeat. Etiam versibus 649—52 q. s.

Ἆ δειλὴ πενίη, τί ἐμοῖς ἐπικειμένη ὤμοις
σῶμα καταισχύνες καὶ νόον ἡμέτερον,
αἰσχρὰ δέ μ' οὐκ ἐθέλοντα βίῃ κακὰ πολλὰ διδάσκεις,
ἐσθλὰ μετ' ἀνθρώπων καὶ κάλ' ἐπιστάμενον;

pauper loquitur, quem eundem nobilem fuisse inde concludas, quod se bonarum rerum haudquaquam inscientem esse gloriatur. Nobiles enim proprie virtutem coluisse saepius comperimus, velut vv. 315—18, quos nunc ob eam quoque rem aspicimus, quia nobiles paupertate premi aperte iam ibi enuntiatur.

Πολλοί τοι πλουτοῦσι κακοὶ, ἀγαθοὶ δὲ πένονται·
ἀλλ' ἡμεῖς τούτοις οὐ διαμειψόμεθα
τῆς ἀρετῆς τὸν πλοῦτον, ἐπεὶ τὸ μὲν ἔμπεδον αἰεί,
χρήματα δ' ἀνθρώπων ἄλλοτε ἄλλος ἔχει.

Qui versus a Solone deprompti sunt neque tamen temere, si quid sentimus, in nostram syllogen recepti.[1] Virtus divitiis opponitur et Theognideis his versibus:

149—50: *Χρήματα μὲν δαίμων καὶ παγκάκῳ ἀνδρὶ δίδωσιν,*
Κύρν', ἀρετῆς δ' ὀλίγοις ἀνδράσι μοῖρ' ἕπεται.

Deinde cum et iustitiam virtutis nomine comprehendere nobis liceat per hos versus:

147—48: *Ἐν δὲ δικαιοσύνῃ συλλήβδην πᾶσ' ἀρετή 'στιν,*
πᾶς δέ τ' ἀνὴρ ἀγαθός, Κύρνε, δίκαιος ἐών,
465—66: *Ἀμφ' ἀρετῇ τρίβου, καί σοι τὰ δίκαια φίλ' ἔστω,*
μηδέ σε νικάτω κέρδος, ὅτ' αἰσχρὸν ἔῃ,

illud attendimus quod in fine versuum 743—52 poëta id aegre fert, quod '*οἱ δίκαιοι*' inopia premantur, cum '*ἀνὴρ ἄδικος καὶ ἀτάσθαλος*' divitiis abundans iniuriose exsultet. Dixeris morali sensu eas voces ibi intellegendas esse. Quod non nego, quamquam usitatum illud quoque fuisse contendens, ut nobiles pro iustis, populares pro iniustis aestimarentur. Legimus enim v. 45:

δῆμόν τε φθείρωσι δίκας τ' ἀδίκοισι διδῶσιν

et v. 54 ubi de popularibus agitur qui coeperint aliquid in re publica valere:

οἳ πρόσθ' οὔτε δίκας ᾔδεσαν οὔτε νόμους.

Artissime igitur etiam in vocibus *δίκαιος*, *ἄδικος* cum morali sensu politicus coniunctus erat, id quod in voces *ἀγαθός, κακός, ἐσθλός, δειλός* cadere supra nobis persuasimus. Respiciamus et vv. 525—26, qui in eandem sententiam dicti sunt atque illi, nisi quod rursus de bonis et malis ibi verba fiunt!

Καὶ γάρ τοι πλοῦτον μὲν ἔχειν ἀγαθοῖσιν ἔοικεν,
ἡ πενίη δὲ κακῷ σύμφορος ἀνδρὶ φέρειν.

Haec omnia sodalicii alicuius nobilium carmina convivalia fuisse contendimus. Et tenemus ibi ubi in usu

---

[1] Videmus igitur, id quod plenius etiam nobis perspicietur (§ 16), non merum florilegium nostram s. esse elegiacae poësis.

fuerint — fieri autem non potest, quin certum quendam locum spectemus ubi illud sodalicium exstiterit, de qua re copiosius infra (§ 17) etiam agemus — divitiores multos de plebe fuisse, cum nobiles in tenuibus rebus plerumque vixerint. Ceterum et versibus 351—54, 511—22, 619—20, 695—96, 1115—16, 1129—32 qui loquuntur paupertatem suam profitentur, neque alicui casui illud tribuerim quod tam saepe eius generis eclogae occurrunt.

Nobilium e sensu etiam ea fuisse crediderim in quibus non sine fastidio et contemptu de divitiis verba fiunt, quales hos versus observaverim:

523—24: *Οὔ σε μάτην, ὦ Πλοῦτε, βροτοὶ τιμῶσι μάλιστα·*
ἦ γὰρ ῥηϊδίως τὴν κακότητα φέρεις.
1117—18: *Πλοῦτε, θεῶν κάλλιστε καὶ ἱμεροέστατε πάντων,*
σὺν σοὶ καὶ κακὸς ὢν γίνεται ἐσθλὸς ἀνήρ.

In hanc sententiam iam Theognidem inclinavisse putandum nobis est (resp. vv. 149—50 supra allatos et vv. 183—92), etsi pro mero fastidio animi quaedam magnitudo ex eius verbis elucet. Virtutem scilicet et ille et quivis nobilis divitiis anteposuerunt.[1] Virtutem et, quae cum ea coniuncta fuit, probitatem (*δικαιοσύνην*). Velut Theognis ita Cyrnum hortatur vv. 29—30:

πέπνυο, μηδ' αἰσχροῖσιν ἐπ' ἔργμασι μηδ' ἀδίκοισιν
τιμὰς μηδ' ἀρετὰς ἕλκεο μηδ' ἄφενος,

idem praedicantibus his versibus:

145—46: *Βούλεο δ' εὐσεβέων ὀλίγοις σὺν χρήμασιν οἰκεῖν,*
ἢ πλουτεῖν, ἀδίκως χρήματα πασάμενος.
465—66: *Ἀμφ' ἀρετῇ τρίβου, καί σοι τὰ δίκαια φίλ' ἔστω,*
μηδέ σε νικάτω κέρδος, ὅτ' αἰσχρὸν ἔῃ.

---

[1] Respice vv. 149—50, 315—18, 465—66, supra allatos, quibus addimus vv. 865—68 qui in his verbis desinunt:

— — — *ἀρετῆς δὲ μέγα κλέος οὔποτ' ὀλεῖται·*
αἰχμητὴς γὰρ ἀνὴρ γῆν τε καὶ ἄστυ σαοῖ.

Quae dum intueor, non miror etiam, quod plus quam nobiles profecerant populares in parandis divitiis. Quos sine scrupulo plerosque fuisse credendum est atque etiam agiliores et habiliores, nobiles vero tardiores neque adeo divitiarum aestimatores. Nobiles enim et ibi loquentes agnoscimus ubi illud aegre fertur, quod tanti homines divitias faciunt. Cuius generis Theognidea illa sunt quae v. 189 exstant:

χρήματα γὰρ τιμῶσι.

Quibus adde vv. 621—22 q. s.

Πᾶς τις πλούσιον ἄνδρα τίει, ἀτίει δὲ πενιχρόν·
πᾶσιν δ' ἀνθρώποις αὐτὸς ἔνεστι νόος

et quae in fine versuum 903—30 leguntur:

εἰ μὲν γὰρ πλουτεῖς, πολλοὶ φίλοι, ἢν δὲ πένηαι,
παῦροι, κοὐκέθ' ὁμῶς αὐτὸς ἀνὴρ ἀγαθός.

Atque cum irrisione divitias solas appetendas esse versus 699—718 praedicant.

Nobiles haud dubie ita locuti sunt. Etiam Alcaeus, Lesbiacus ille poëta, qui fuit auctor scoliorum[1]) h. e. carminum convivalium, nec non ut vidimus stasioticorum, divitiarum potestatem indigne ferens ita locutus est (fr. 49 Bgk.): *Ὢς γὰρ δήποτ' Ἀριστόδαμόν φαισ' οὐκ ἀπάλαμνον ἐν Σπάρτᾳ λόγον εἴπην· χρήματ' ἄνηρ, πένιχρος δ' οὐδεὶς πέλετ' ἔσλος οὐδὲ τίμιος.*

Ceterum Spartanum hominem quoque qui hanc sententiam ediderit ibi memorari non inutile fortasse est quod consideretur, cum omnino Spartanos ita sensisse consentaneum sit. Qui non fortuito etiam, opinor, a nobilium partibus ubique stabant ubi intererant. Itaque ne illud quidem casui tribuerim, quod in nonnullis nostrae sylloges eclogis Sparta respicitur, idque ita duobus locis, ut nostris

[1]) Respice haec dicta quae ex Aristophanis *Δαιταλεῦσι* ab Athenaeo XV p. 694 a afferuntur:

ᾆσον δή μοι σκολιόν τι λαβὼν Ἀλκαίου κἀνακρέοντος.

potoribus illis hospitium cum Spartanis fuisse appareat. Versibus enim 783—88 qui loquitur se et Spartam et quaedam alia loca ubi benevolenter exceptus sit adiisse dicit.[1]) Alter locus unde nobilium illi quod agnoscimus sodalicio familiariter aliquid cum Spartanis intercessisse percipias versibus 879—84 constat. De quibus quid sentiamus in fine huius dissertationis (§ 17) explicabimus.

Illud denique hic praeterire nolumus quod nobile ingenium nonnullis locis qui loquitur prodit, velut vv. 535—36, 537—38 q. s.

Οὔ ποτε δουλείη κεφαλὴ ἰθεῖα πέφυκεν,
ἀλλ' αἰεὶ σκολιή, καὐχένα λοξὸν ἔχει.
Οὔτε γὰρ ἐκ σκίλλης ῥόδα φύεται οὐδ' ὑάκινθος,
οὔτε ποτ' ἐκ δούλης τέκνον ἐλευθέριον.

Vide mirabilem rerum contextum! Rursus enim nunc ponimus vv. 529—30, quos supra in sodaliciis iam observavimus (p. 21):

Οὐδένα πω προὔδωκα φίλον καὶ πιστὸν ἑταῖρον,
οὐδ' ἐν ἐμῇ ψυχῇ δούλιον οὐδὲν ἔνι.

§ 5. Totius sylloges usus convivalis demonstrabitur.

Cognitam habemus eorum nostrae s. versuum convivalem rationem quibus Cyrnus appellatur, ceterorum quoque non exiguam partem convivalia carmina esse simul perspicientes. Quae pars quanta sit liceat nunc nobiscum recolere. Deprehendimus hos vv. a quibus Cyrni nomen abest, quos in praeceptivis habeas:

31—38, 73—74, 87—88, 93—96, 97—100, 113—14, 171—72, 211—12, 301—02, 303—04, 309—12, 363—64, 365—66, 399—400, 401—06, 421—24, 457—60, 461—62,

[1]) Vel inde aliquis eum nobilem fuisse concludere potest, quod Spartae hospites et amicos habuit qui eum exceperant.

463—64, 465—66, 467—96, 497—98, 499—502, 509—10, 547—48, 555—56, 559—60, 563—66, 591—92, 593—94, 605—06, 607—10, 611—14, 627—28, 631—32, 633—34, 635—36, 657—58, 687—88, 689—90, 693—94, 753—56, 823—24, 837—40, 843—44, 873—76, 903—30, 989—90, 1003—06 (qui Tyrtaei sunt), 1025—26, 1049—54, 1151—52, 1163—64, 1165—66,

stasioticos vero et sodalicios hos qui Cyrni nomen reticent antecedenti paragrapho inspeximus, in quibus eos qui praeterea praeceptivi sunt asterisco notamus:

*31—38, 77—78, 79, *93—96, *97—100, *113—14, 115—16, *145—46, 209—10, 315—18 (qui Solonis sunt), *465—66, 523—24, 525—26, 529—30, 535—36, 537—38, 571—72, *611—14, 619—20, 621—22, 635—36, 643—44, 649—52, 655—56, 667—82, 683—86, 695—96, 699—718, 743—52, 783—88, 789—92, *823—24, 847—50, 855—56, 879—84, 891—94, *903—30, 947—48, 963—70, 979—80, *981—82, 1025—26, 1083—84, (1109—14), 1115—16, 1117—18, 1129—32, 1169—70, 1181—82, 1203—6.

Accedunt aliae rationes quibus eos quoque versus a quibus Cyrni nomen abest convivalem usum habuisse coarguatur. Quas dehinc videbimus.

§ 6. Prooemia.

Quod complura carmina quibus dei quidam invocantur initialia in nostra sylloge exstant, idem in Atticis scoliis observatur quae convivalia carmina esse nobis constat (vide p. 9). Cuius rei ratio etiam convivalis apparet. Cum enim omnino id usitatum fuerit veteribus, a deo ut initium facerent in recitandis carminibus, tum mos convivalis requirebat prooemia. Quod primum intelligitur ex his quae v. 762 sq. in nostra s. leguntur:

ἡμεῖς δὲ σπονδὰς θεοῖσιν ἀρεσσάμενοι
πίνωμεν, χαρίεντα μετ᾽ ἀλλήλοισι λέγοντες.

Quibus adde quod Xenophanes fr. 1, 13 sqq. ap. Bgk. in descriptione convivali ita loquitur:

χρὴ δὲ πρῶτον μὲν θεὸν ὑμνεῖν εὔφρονας ἄνδρας
εὐφήμοις μύθοις καὶ καθαροῖσι λόγοις.
σπείσαντας δὲ καὶ εὐξαμένους τὰ δίκαια δύνασθαι
πρήσσειν ....
.... πίνειν ὁπόσον κεν ἔχων ἀφίκοιο
οἴκαδ᾽ ἄνευ προπόλου.

Respiciamus denique quod Plato scribit in Symp. p. 176 a:

σπονδάς τὲ σφᾶς ποιήσασθαι καὶ ᾄσαντας τὸν θεὸν καὶ τἆλλα τὰ νομιζόμενα τρέπεσθαι πρὸς τὸν πότον.

§ 7. Symposiaci versus.

Inveniuntur inter eos versus a quibus Cyrni nomen abest qui convivalem usum tanquam prae se ferant, cum in iis aut combibones appellentur aut omnino in eum modum verba fiant, convivio ut interesse videatur qui loquitur. Quos sine ulla dubitatione convivali usui vindicabimus, symposiacorum nomine eos comprehendentes. Atque primum quidem in eorum numero hos ponimus, de quibus dubitari non poterit:

467—96: *Μηδένα τῶνδ᾽ ἀέκοντα μένειν κατέρυκε παρ᾽ ἡμῖν, κτλ.* (Qui vv. etiam ob eam rem quia praecepta iis dantur inter convivalia carmina referendi sunt, cf. § 2 et 3.)

503—08: *Οἰνοβαρέω κεφαλήν, Ὀνομάκριτε, καί με βιᾶται οἶνος, κτλ.*

757—68 (Cuius ecloges convivalis ratio his verbis declaratur quae inde a v. 762 leguntur:

ἡμεῖς δὲ σπονδὰς θεοῖσιν ἀρεσσάμενοι
πίνωμεν, χαρίεντα μετ᾽ ἀλλήλοισι λέγοντες,
μηδὲν τὸν Μήδων δειδιότες πόλεμον.)[1]

---

[1]) Propter hoc enuntiatum etiam versus 773—82 ad convivalem usum editos esse existimem, quibus item instantis belli Persici

825—30: *Πῶς ὑμῖν τέτληκεν ὑπ' αὐλητῆρος ἀείδειν*
θυμός; κτλ.
939—42: *Οὐ δύναμαι φωνῇ λίγ' ἀειδέμεν ὥσπερ ἀηδών· κτλ.*
943—44: *Ἐγγύθεν αὐλητῆρος ἀείσομαι ὧδε καταστάς κτλ.*
997–1002: *Τῆμος δ' ἠέλιος μὲν ἐν αἰθέρι μώνυχας ἵππους*
ἄρτι παραγγέλλοι μέσσατον ἦμαρ ἔχων,
δείπνου δὴ λήγοιμεν, κτλ.
1047–48: *Νῦν μὲν πίνοντες τερπώμεθα, καλὰ λέγοντες,*
ἅσσα δ' ἔπειτ' ἔσται, ταῦτα θεοῖσι μέλει.
1055—58: *Ἀλλὰ λόγον μὲν τοῦτον ἐάσομεν, αὐτὰρ ἐμοὶ σὺ*
αὔλει, κτλ.

Nonnisi in convivio hos deinde versus recitatos esse apparet, in quibus qui loquitur commissationis, quae finem facere solebat convivii, rationem habet, idque ita ut ipsum eum commissatum iturum esse intellegas:

1045–46: *Ναὶ μὰ Δί', εἴ τις τῶνδε καὶ ἐγκεκαλυμμένος εὕδει,*
ἡμέτερον κῶμον δέξεται ἁρπαλέως.
1207—08: *Οὔτε σε κωμάζειν ἀπερύκομεν οὔτε καλοῦμεν·*
ἁρπαλέος παρεών, καὶ φίλος, εὖτ' ἂν ἀπῇς.

Neque non apparet qui fuerint illi qui v. 1045 voce 'τῶνδε' designantur. In convivio, credo, affuerunt et illi. Nihil igitur veri similius quam ut ibi respiciantur qui se domum, ut dormiant, ituros esse antecedentibus his versibus enuntiaverant:

Εὕδωμεν· φυλακὴ δὲ πόλευς φυλάκεσσι μελήσει
ἀστυφέλης ἐρατῆς πατρίδος ἡμετέρης.

Quos et ipsos convivales inde agnoverim. Quod vero, quasi inter se homines loquantur, hae eclogae sese excipiunt,

periculum declaratur. Neque solum intestinas res sed etiam bellica certamina sermones combibonibus dedisse credendum est, cum praeterea externas res perstringant vv. 549—54, ad Cyrnum dati, qui in apparatione belli alicuius modo oborti versantur, et vv. 891—94, quos in sodaliciis observavimus p. 15 et 18.

responsionis morem proprium convivalium carminum fuisse iam videbimus (cf. § 15).

In his igitur eclogis qui loquuntur haud occulte convivii participes se profitentur. Possis vero et alias facillime ita accipere, ut in convivio verba fiant, id quod cadit in hos vv.:

261—66: *Οὔ μοι πίνεται οἶνος, ἐπεὶ παρὰ παιδὶ τερείνῃ*
ἄλλος ἀνὴρ κατέχει πολλὸν ἐμοῦ κακίων· κτλ.
413—14: *Πίνων δ' οὐχ οὕτως θωρήξομαι, οὐδέ με οἶνος*
ἐξάγει, ὥστ' εἰπεῖν δεινὸν ἔπος περὶ σοῦ.
531—32: *Αἰεί μοι φίλον ἦτορ ἰαίνεται, ὁππότ' ἀκούσω*
αὐλῶν φθεγγομένων ἱμερόεσσαν ὄπα.
533—34: *Χαίρω δ' ἐμπίνων καὶ ὑπ' αὐλητῆρος ἀείδων,*
χαίρω δ' εὔφθογγον χερσὶ λύρην ὀχέων.
879—84: *Πῖν' οἶνον, τὸν ἐμοὶ κορυφῆς ὕπο Τηϋγέτοιο*
ἄμπελοι ἤνεγκαν, κτλ.
885—86: *Εἰρήνη καὶ πλοῦτος ἔχοι πόλιν, ὄφρα μετ' ἄλλων*
κωμάζοιμι· κακοῦ δ' οὐκ ἔραμαι πολέμου.
971—72: *Τίς δ' ἀρετὴ πίνοντ' ἐπιοίνιον ἆθλον ἑλέσθαι;*
πολλάκι τοι νικᾷ καὶ κακὸς ἄνδρ' ἀγαθόν.
993—96: *Εἰ θείης, Ἀκάδημε, ἐφίμερον ὕμνον ἀείδειν, κτλ.*
1129—32: *Εἰ πίομαι, πενίης θυμοφθόρου οὐ μελεδαίνω, κτλ.*

Porro convivalem rationem eorum versuum agnoscas in quibus de vino aliquid praedicetur. Quales hos deprehendimus:

841—42: *Οἶνος ἐμοὶ τὰ μὲν ἄλλα χαρίζεται, ἓν δ' ἀχάριστον,*
εὖτ' ἂν θωρήξας μ' ἄνδρα πρὸς ἐχθρὸν ἄγῃ.
1039—40: *Ἄφρονες ἄνθρωποι καὶ νήπιοι, οἵτινες οἶνον*
μὴ πίνουσ' ἄστρου καὶ κυνὸς ἀρχομένου.

Quo in numero et inveniuntur quos praeterea ob eam rem, quia praecepti instar sunt, inter convivalia cantica referre possis (conf. § 3), quales sunt vv. 211—12 (qui variati iterum exstant vv. 509—10), quibus vino animum levari, si modice bibatur, si immodice, malis contra affici enuntiatur. Cui sententiae accedunt vv. 873—76, ubi

vinum et landatur et vituperatur. Mala et vv. 497—98 depingunt, qui nimium bibendo hominem leviorem fieri monent. Quibuscum quattuor insequentes (499—502) consentiunt, quibus etiam in vino veritatem esse comperimus, neque aberit a re meminisse quod idem ab Alcaeo exprimitur, cum dicit (fr. 53 Bgk.):

Οἶνος γὰρ ἀνθρώποις δίοπτρον.

Convivalem enim et illius poëtae omnem poësim agnoscimus, cuius a fragmentis cum alia quae convivalem rationem prodant (dico *στασιωτικά, προοίμια,* quae iam attendimus [§ 4 et 6], *ἐρωτικά*, quae infra [§ 9] videbimus), tum symposiaci versus haudquaquam absunt.

In symposiacis et ea liceat ponere quae iuvenum animis accommodata sint. Ex Iuvenibus enim praecipue convivale collegium constitisse versus 983 sqq. patefaciunt q. s.

Ἡμεῖς δ' ἐν θαλίῃσι φίλον καταθώμεθα θυμόν,
ὄφρ' ἔτι τερπωλῆς ἔργ' ἐρατεινὰ φέρῃ·
αἶψα γὰρ ὥστε νόημα παρέρχεται ἀγλαὸς ἥβη· κτλ.

Quos versus in convivio recitatos esse vel inde alicui appareat, quod incipiunt a voce *ἡμεῖς*. Qua appellatione etiam ille utitur qui vv. 757—68 loquitur, neque dubitari potest, quin combibo ibi collegium convivale in quo ipse versetur ita appellet. Dicit enim v. 762 sq. *ἡμεῖς δὲ . . . . . πίνωμεν.* Iuvenes convivales fuisse praeterea vv. 1063 sqq. nos edocent q. s.

Ἐν δ' ἥβῃ πάρα μὲν ξὺν ὁμήλικι καλ λῖθ' εὕδειν,
ἱμερτῶν ἔργων ἐξ ἔρον ἱέμενον,
ἔστι δὲ κωμάζοντα μετ' αὐλητῆρος ἀείδειν. κτλ.

Ibi *κωμάζειν* artiore eo sensu accipere possis, ut sit 'commissari', — atque inter commissantes nullos nisi iuvenes fuisse facillime credas[1]) — quamquam non necessarium

[1]) Conf. quod Hesiodus dicit Scuti v. 281 *νέοι κώμαζον ὑπ' αὐλοῦ.* Quo loco, cum iuvenum processus describatur v. 284, de convivio cogitari non potest.

est, cum et generalem epulandi et bibendi notionem in eo verbo infuisse credendum sit, si quidem *κῶμος* etiam ipsum convivium designat (cf. p. 7—8). Denique supra (§ 1) iam inspecta Theognidea dicta quae vv. 239—43 exstant rursus nunc observamus, quia iuvenum qui Cyrnum canturi sint ibi mentio fit. Fortasse in eo aliquis hoc loco haerebit, quod poëta cum istis carminibus Cyrnum allocutus est aetate provectior fuisse videtur (resp. v. 27 sq.), sed non est quod offendamus. Dicit enim etiam post mortem Cyrni nihilominus nomen eius auditum iri in conviviis. In eo igitur iam veritas violatur, quod cum Cyrnus non iam adest etiam tunc verba ad eum fieri pergunt, neque opus est, ut, si qui forte maiores natu convivio interfuerint, ab iis solis ea quibus Cyrnus appellatur cantata esse nobis statuamus. Placuerant ea quibus Cyrni nomen insertum erat et in usu esse coeperant. Itaque, quoniam ex iuvenibus praecipue collegium constabat convivale, non nisi ob hanc rem in universum de iuvenum cantu hoc loco Theognis cogitavit. Iuvenes combibones fuisse etiam Hom. hymni in Merc. v. 55—56 et Apollon. Rh. Arg. I 458—59 enuntiatur. Denique '*ἡβᾶν μετὰ τῶν φίλων*' post sanitatem, corporis pulchritudinem, divitias quartum bonum scolio Attico 7 (8 ap. Bgk.) praedicatur.

Quae dum reputamus, non nullius momenti illud quoque nobis videtur, quo convivalis nostrae s. ratio indicetur, quod iuvenile admodum ingenium spirantes versus haud pauci in ea occurrunt. Quorum e numero iam vv. 983–88 et 1063—68 respeximus, iisque hos nunc addimus:

567—70: *Ἥβῃ τερπόμενος παίζω, κτλ.*

719—28, qui Solonis sunt; in quibus iuventus summum bonum praedicatur, cui divitiae postponendae sint.

877—78: *Ἥβα μοι, φίλε θυμέ. τάχ' ἄν τινες ἄλλοι ἔσονται*
ἄνδρες, ἐγὼ δὲ θανὼν γαῖα μέλαιν' ἔσομαι.

973—78, quorum ratio convivalis per se etiam perspicua fit, cum ita se habeant:

Οὐδεὶς ἀνθρώπων, ὃν πότν᾿ ἐπὶ γαῖα καλύψῃ
ἔς τ᾿ Ἔρεβος καταβῇ, δώματα Περσεφόνης,
τέρπεται οὔτε λύρης οὔτ᾿ αὐλητῆρος ἀκούων,
οὔτε Διωνύσου δῶρον ἀειράμενος·
ταῦτ᾿ ἐσορῶν κραδίην εὖ πείσομαι, ὄφρ᾿ ἔτ᾿ ἐλαφρά
γούνατα καὶ κεφαλὴν ἀτρεμέως προφέρω.

1007—12: *Ξυνὸν δ᾿ ἀνθρώποις ὑποθήσομαι, ὄφρα τις ἥβᾳ*
ἄγλαὸν ἄνθος ἔχων καὶ φρεσὶν ἐσθλὰ νοῇ,
τῶν αὐτοῦ κτεάνων εὖ πασχέμεν· οὐ γὰρ ἀνηβᾶν
δὶς πέλεται πρὸς θεῶν. κτλ.

1119—22: *Ἥβης μέτρον ἔχοιμι, φιλοῖ δέ με Φοῖβος Ἀπόλλων*
Λητοΐδης καὶ Ζεύς, ἀθανάτων βασιλεύς,
ὄφρα βίον ζώοιμι κακῶν ἔκτοσθεν ἁπάντων,
ἥβῃ καὶ πλούτῳ θυμὸν ἰαινόμενος.

Suspicamur ergo, cum iuvenes fuerint plerique convivii participes, ob eam rem in nostra s. inveniri quae iuvenilis poëtae afflaverit affectio.

Verum enim vero non absunt de iuventute iam evanescenti queribundi versus. Quos admiscuit, opinor, qui aetate forte provectior erat, dum alios vidit iuveniliter exsultantes. Velut versibus 1129—32, ut unam eclogam efficiant,[1]) combibo loquitur[2]) non senex ille quidem sed

[1]) Fateor me non habere quomodo eos convincam qui hos vv. in duo disticha dirimant. Quod enim Stobaeus Flor. CXVI 10 quattuor omnes affert, levius alicui pensari potest.

[2]) Dicit enim *Εἰ πίομαι,* vel si eam lectionem probaveris quam solus Mutin. praebet *Ἐμπίομαι* (quam si tuearis, fieri non potest, quin scribas *μελεδαίνων* contra eiusdem cod. auctoritatem. Et dubito quam recte. Neque enim apte *ἀλλ᾿ ὀλοφύρομαι* participiali sententiae succedit meo sensu). Praeterea sodalicii nobilium participem h. e. combibonem iam supra eum qui loquitur agnovimus, cum pauperem se profiteatur. Quod alicuius momenti est, quia saepius nobiles illi nostri in paupertatis querela versantur, ut supra vidimus (conf. § 4).

qui labentem iam sentiat iuventutem, quam unam maeret deficientem ceteris curis neglectis. Quodsi vv. 527—28, 1017—20 (qui Mimnermi sunt), 1069—70 in eadem querela versantur, neque senem illum sed seniorem a quo et illi edi potuerint agnoscas, fieri vix potest, quin convivalis illorum quoque versuum ratio tibi statuatur.

§ 8. Combibonum appellationes.

Non rarum est, ut quae eclogae convivalia cantica nobis reperta sint, in eis alius combibo aut nominatim aut sine nominis significatione a poëta appelletur. Velut nominatim versus 467—96 et 667—82 Simonidem, vv. 563—68 Onomacritum, vv. 993—96 Academum appellant. Damocles deinde vv. 903—30 appellatur, quos item convivali usui vindicabimus, si quidem *'παραίνεσίν τινα καὶ γνώμην χρησίμην εἰς τὸν βίον'* in iis observamus, ut Athenaei illis verbis utar quae ad poësim scoliorum pertinent. Atque praeceptivi versus saepius appellationem assumunt, velut legimus v. 75:

ταῦτα μαθών, φίλ᾿ ἑταῖρε, δικαίως χρήματα ποιοῦ

et v. 99—100:

σὺ δέ μοι, φίλε,[1]) *ταῦτ᾿ ἐνὶ θυμῷ | φράζεο.*

Neque non ei versus quibus Cyrnus appellatur, cum maiore ex parte praeceptivi sint, in hanc rationem cadere videntur.

Quae quamvis ita sint, allocutionem certum indicium esse quo aliquam eclogen usum convivalem habuisse coarguatur non contenderim. Poterat etiam qui non aderat a poëta appellari. Attamen nonnunquam vel saepius allocutiones ita comparatae sunt, ut coram cum aliquo homine loqui videatur poëta. Exempli gratia respicimus versus vv. 1207—08, quorum convivalis ratio perspicua est:

[1]) *φίλος* pro *ἑταῖρος* ibi usurpatur, ut vv. 323, 326.

Οὔτε σε κωμάζειν ἀπερύκομεν οὔτε καλοῦμεν·
ἁρπαλέος παρεὼν καὶ φίλος, εὖτ' ἂν ἀπῇς.

De his igitur non dubitari poterit, sed videamus alia. Coram cum hospite, cui Clearisto nomen est, ille loquitur cui vv. 511—22 debentur. Quos versus in convivio editos esse crediderim. In convivio enim hospites appellatos et salutatos esse ex versibus 779—884 intellegas. Etiam sodales alio nonnunquam se contulisse nobis statuendum erit, si quidem ille qui vv. 783—88 loquitur se et Siciliam et Euboeam et Spartam adiisse docet. Quae dum intueor, in convivio in sodalem ante eius discessum haec dicta esse statuerim quae vv. 691—92 leguntur:

Χαίρων εὖ τελέσειας ὁδὸν μεγάλου διὰ πόντου,
καί σε Ποσειδάων χάρμα φίλοις ἀνάγοι.

An putamus litteris tantum haec ad eum pervenisse qui appellatur? Dixeris ex longiore quodam carmine haec petita esse. Esto, concesserim, quamquam similes versus illi qui Clearistum appellant (511—22) plenum haud dubie carmen efficiunt neque non certam occasionem spectant. Quaero autem cur inde petita sint, ut locum in nostra sylloge obtineant.

Coram deinde adesse dixeris qui appellatur, ubi cum nescio quo homine poëta rixatur. Cuius generis hos versus inspiciamus:

407—08: *Φίλτατος ὢν ἥμαρτες· ἐγὼ δέ τοι αἴτιος οὐδέν,*
ἀλλ' αὐτὸς γνώμης οὐκ ἀγαθῆς ἔτυχες.

439—40: *Νήπιος, ὃς τὸν ἐμὸν μὲν ἔχει νόον ἐν φυλακῇσιν,*
τῶν δ' αὐτοῦ ἰδίων οὐδὲν ἐπιστρέφεται.

453—56: *"Ὤνθρωπ', εἰ γνώμης ἔλαχες μέρος ὥσπερ ἀνοίης,*
καὶ σώφρων οὕτως ὥσπερ ἄφρων ἐγένου,
πολλοῖς ἂν ζηλωτὸς ἐφαίνεο τῶνδε πολιτῶν,
οὕτως ὥσπερ νῦν οὐδενὸς ἄξιος εἶ.

Ibi quoque praesentiam convivalem agnoverim eorum qui appellantur, idque eo magis quod rixas inter potores non-

nunquam intervenisse ipsius nostrae sylloges hi versus declarant:

413—14: *Πίνων δ' οὐχ οὕτως θωρήξομαι, οὐδέ με οἶνος*
ἐξάγει, ὥστ' εἰπεῖν δεινὸν ἔπος περὶ σοῦ.

493—94: *ὑμεῖς δ' εὖ μυθεῖσθε παρὰ κρητῆρι μένοντες,*
ἀλλήλων ἔριδος δῆγμ' ἀπερυκόμενοι.

841—42: *Οἶνος ἐμοὶ τὰ μὲν ἄλλα χαρίζεται, ἓν δ' ἀχάριστον,*
εὖτ' ἂν θωρήξας μ' ἄνδρα πρὸς ἐχθρὸν ἄγῃ.

Ceterum in quibusdam eclogis quae rixantis sunt potores appellari etiam aliis rationibus satis perspicuum fit. Potores enim 'sodales' Graece vocatos esse supra (§ 4) statuimus. Sodalis autem appellatur vv. 595—96 q. s.

"Ἄνθρωπ', ἀλλήλοισιν ἀπόπροθεν ὦμεν ἑταῖροι·
πλὴν πλούτου παντὸς χρήματός ἐστι κόρος

et in his, nisi fallit opinio, quae finem faciunt versuum 963—70:

ἔφθην σ' αἰνήσας πρίν σου κατὰ πάντα δαῆναι
ἤθεα· νῦν δ' ἤδη(?) ναῦς ἅθ' ἑκὰς διέχω.

Ibi enim falsus et infidelis amicus a poëta increpitatur, quem sodalicii participem fuisse supra nobis persuasimus (vid. § 4).

§ 9. Versus qui pertinent ad puerilem amorem.

Quod ad nostram syllogen versuum 154 appendix accedit, quam solus servavit cod. Mutin., continens eas eclogas quae puerilem amorem attinent, dubium esse non potest, quin convivalem usum et ista cantica habuerint. Primum enim Anacreonteae poësis exemplo illud intellegi licet, a qua talia haudquaquam aliena fuerunt,[1]) cum Ana-

[1]) Resp. fragm. 2, 3, 4, 45 (Bgk.) et quod Max. Tyr. XXIV 9 de eo dicit: *καὶ γὰρ πάντων ἐρᾷ τῶν καλῶν καὶ ἐπαινεῖ πάντας. μεστὰ δὲ αὐτοῦ τὰ ᾄσματα τῆς Σμέρδιος κόμης καὶ τῶν Κλεοβούλου ὀφθαλμῶν καὶ τῆς Βαθύλλου ὥρας.*

creontem etiam convivalium maxime carminum auctorem fuisse credendum sit. Quem una cum Alcaeo, quem convivalem poëtam § 4 et 7 agnovimus, Aristophanes memorat ap. Athen. XV p. 694a, ut poëtas designet qui clari fuerint in poësi scoliorum. Quocum convenit quod symposiaci vv. etiam ab eius fragmentis minime absunt.[1]) Convivalem denique eius poësis rationem apertissime Critiae fr. 7 (Bgk.) hi versus (5 sqq.) detegunt:

οὔ ποτέ σου φιλότης γηράσεται οὐδὲ θανεῖται,
ἔστ᾽ ἂν ὕδωρ οἴνῳ συμμιγνύμενον κυλίκεσσιν
παῖς διαπομπεύῃ, προπόσεις ἐπιδέξια νωμῶν, κτλ.

Quibus adde ipsius Anacreontis hos vv., apud Athen. XI p. 463a servatos, ut et convivalia carmina quae in puerili amore versata sint (conf. fragmenta) eum edidisse tibi persuadeas:

Οὐ φιλέω, ὃς κρητῆρι παρὰ πλέῳ οἰνοποτάζων
νείκεα καὶ πόλεμον δακρυόεντα λέγει,
ἀλλ᾽ ὅστις Μουσέων τε καὶ ἀγλαὰ δῶρ᾽ Ἀφροδίτης
συμμίσγων ἐρατῆς μνήσκεται εὐφροσύνης.

Itaque nihil verisimilius est quam ut nostrae quoque sylloges versus amatorii isti usum habuerint convivalem. Confirmatur autem illud perquam graviter et haud contemnendum in modum paterae fictilis alicuius et figuris rubris coloratae imagine, quam primus U. Köhlerus adhibuit.[2]) Ibi enim vir cui lepos mulcetur — intercedit autem lepori aliquid cum puerili amore — lecto in convivali accubans conspicitur atque ore valde hianti verba edens *ὦ παίδων κάλλιστε*, quae initium faciunt versuum 1365—66 nostrae appendicis. Qui versus utrum a Theognide profecti sint necne scire nunc non laboro, tantum affirmans, eos in

[1]) Resp. fragm. 53, 54, 62, 63 (Bgk.).

[2]) Mitteil. d. deutsch. archäol. Instituts in Athen IX (1884) p. 1 sqq., tab. 1.

convivio cantatos esse, id quod Hillerus[1]) non debebat negare. Cui iure obloquitur Lucas in dissertatione q. i. Studia Theognidea (Berol. 1893) p. 41—42. Neque enim dubitari potest, quin et canens ille vir pictus sit, et metrice formata verba ex eius ore proveniant. Addiderim ad ea quae Lucas exponit, hanc rationem, ut hexametri initialia verba usque ad caesuram eam quae vocatur *κατὰ τρίτον τροχαῖον* perscribantur, etiam pictori placuisse paterae alicuius Vulcensis figuris rubris et ipsius ornatae, quae descripta est in Monumentis Instituti V 5. Ascripta ibi invenimus verba *ὧδε ποτ᾽ ἐν Τίρυνθι* ad imaginem canentis viri, cui etiam tibicen additus est, ita ut dubitari nequeat, quin cantet.

§ 10. Breves sententiae et proverbia.

Vidimus paragraphis 2 et 3 inter praeceptivos nostrae s. versus etiam inveniri qui speciem induant brevis sententiae, quae Graece *γνώμη* vocatur. Quos quoniam convivalem usum habuisse statuimus, consequens est rerum cohaerentia, in universum ut eius generis versus inter convivalia cantica referamus in quibus sententiae ratio appareat, quamvis desinant morale vel utile praeceptum exprimere. Quales hos exempli gratia perscribimus:

167—68: *Ἄλλ᾽ ἄλλῳ κακόν ἐστι, τὸ δ᾽ ἀτρεκὲς ὄλβιος οὐδείς*
ἀνθρώπων ὁπόσους ἠέλιος καθορᾷ.

293—94: *Οὐδὲ λέων αἰεὶ κρέα δαίνυται, ἀλλά μιν ἔμπης*
καὶ κρατερόν περ ἐόντ᾽ ἀγρεῖ ἀμηχανίη.

381—82: *Οὐδέ τι κεκριμένον πρὸς δαίμονός ἐστι βροτοῖσιν,*
οὐδ᾽ ὁδὸν ἥν τις ἰὼν ἀθανάτοισιν ἅδοι.

Nec non etiam *γνώμας* in conviviis cantatas esse Aristoxenus et Phyllis testantur apud Suidam s. v. *σκολιόν*.

[1]) Jahresber. f. klass. Altert. 1888 p. 157 sq.

Una autem cum eroticis cantiunculis ibi memoratur, ita ut de praeceptis vix cogites.

Vulgatas deinde sententias, quae proverbia appellare possis, inter convivalia carmina receptas esse Atticum scolium 20 (23 ap. Bgk.) documento est. Quod cum ita se habeat:

Ὑπὸ παντὶ λίθῳ σκορπίος, ὦ 'ταῖρ', ὑποδύεται·
φράζευ, μή σε βάλῃ· τῷ δ' ἀφανεῖ πᾶς ἕπεται δόλος,

vetus proverbium ibi subesse ex Aristophane cognoscas, cui illud Thesmophor. vv. 527—30 his dictis respicitur:

τὴν παροιμίαν δ' ἐπαινῶ
τὴν παλαιάν· ὑπὸ λίθῳ γὰρ
παντί που χρὴ
μὴ δάκῃ ῥήτωρ ἀθρεῖν.

Vide quam non, ut aliis occasionibus, rursus hic Atticorum scoliorum comparatio inutilis sit. Nam quae vulgata et proverbii loco fuerint usurpari idem in nostrae sylloges eclogis quibusdam perspicuum est, velut in versibus 335—36 q. s.

Μηδὲν ἄγαν σπεύδειν· πάντων μέσ' ἄριστα· καὶ οὕτως,
Κύρν', ἕξεις ἀρετήν, ἥντε λαβεῖν χαλεπόν.

Dicta enim '*μηδὲν ἄγαν σπεύδειν*' initio versuum 401—06 rursus occurrunt, unde iam ea in ore hominum fuisse poteris suspicari. Atque de solis dictis '*μηδὲν ἄγαν*' illud constat (vid. Plat. Hipparch. p. 228 c). Ceterum virtutis ibi ita mentio fit, ut cultum eius agnoscas, unde iam ratio horum versuum convivalis, qui etiam praeceptivi sunt et Cyrni appellatione insignes, nobis quidem satis constat; resp. quod p. 25—27 animadvertimus.

Proverbii loco deinde versum 147 fuisse q. e.

Ἐν δὲ δικαιοσύνῃ συλλήβδην πᾶσ' ἀρετή 'στιν,

Aristoteli credas, qui his verbis '*καὶ παροιμιαζόμενοί φαμεν*' in Ethica Nic. V 3, 1129 b 29—30 eum affert.

Respice et Bergkii adnotationes ad vv. 215—18 et

425—28, unde ibi quoque vulgatas sententias ad elegiacum metrum redactas esse tibi persuadeas, nisi quod hexametris eae antiquitus conditae iam fuerint.

§ 11. Aenigmatici versus.

Aenigmata in fine epularum proponi e solito fuisse Plutarchus diserte tradit (Quaest. Conv. V initio). Quibus adde quod Hesychius praebet s. v. *γρῖφος· τὸ δίκτυον. καὶ συμποτικὴ ζήτησις αἰνιγματώδης* et Pollux Onomastico VI 107 *τῶν μέντοι συμποτικῶν καὶ αἴνιγμα καὶ γρῖφος.* Athenaeus deinde in iis quae p. 448 b — 59 c exponit griphos quosdam, in quibus tres, qui elegiaco metro compositi sunt, memorat. Atque unum eorum, quem p. 457 b affert ita se habentem

Ἤδη γάρ με κέκληκε θαλάσσιος οἴκαδε νεκρός,
τεθνηκὼς ζωῷ φθεγγόμενος στόματι,

ubi *κόχλον* intelligere nos iubet, Theognidis esse dicit. Mittimus quaerere quare illi vv. in nostra s. non exstent. Hoc autem attendimus, convivalem Theognideorum versuum rationem inde quoque elucere.

Convivium igitur spectant et aenigmatici versus. Neque absunt a nostra sylloge quos pro aenigmate aestimare debeas. Velut ille qui versibus 667—82 loquitur aenigma a se prolatum esse his dictis, quae in fine eius ecloges leguntur, aperte declarat:

ταῦτά μοι ᾐνίχθω κεκρυμμένα τοῖς ἀγαθοῖσιν·
γινώσκοι δ' ἄν τις καὶ κακός, ἢν σοφὸς ᾖ·

Loquitur autem in hac ecloge laborantis et graviter afflictae navis imagine usus de re publica male se habente et intestinis turbis vexata. Quos versus, quibus Simonidem appellat, ut in symposiacis versibus ille appellatur v. 469, ad convivalem rationem supra (§ 4) revocavimus.

Aenigma deinde haud dubie latet, etiam si feminam loquentem agnoscas, in versibus 257—60 q. s.

῞Ιππος ἐγὼ καλὴ καὶ ἀεθλίη, ἀλλὰ κάκιστον
ἄνδρα φέρω, καί μοι τοῦτ᾽ ἀνιηρότατον·
πολλάκι δ᾽ ἠμέλλησα διαρρήξασα χαλινόν
φεύγεν, ἀπωσαμένη τὸν κακὸν ἡνίοχον.

Nihil affirmaverim, sed dubitem an haec quoque ad rem publicam pertineant cui tyrannus iugum imposuerit.[1])

Pro aenigmate et versus 959—62 habeas q. s.

῎Εστε μὲν αὐτὸς ἔπινον ἀπὸ κρήνης μελανύδρου,
ἡδὺ τέως ἐδόκει καὶ καλὸν εἶμεν ὕδωρ·
νῦν δ᾽ ἤδη τεθόλωται, ὕδωρ δ᾽ ἀναμίσγεται ἰλυῖ,
ἄλλης δὴ κρήνης πίομαι ἢ ποταμοῦ.

Ubi *κρήνη* de puella, *ποταμός* de puero dictum esse maximam probabilitatem habet.

Porro aenigmate vel imagine in priore parte versuum 1097—1100 poëta utitur ita loquens:

῎Ηδη καὶ πτερύγεσσι ἐπαίρομαι ὥστε πετεινόν
ἐκ λίμνης μεγάλης, ἄνδρα κακὸν προφυγών,
βρόκχον ἀπορρήξας.

Etiam Theognis initio versuum 549—50 simile ponit pro usitato verbo cum dicit ignem significans:

῎Αγγελος ἄφθογγος πόλεμον πολύδακρυν ἐγείρει,
Κύρν᾽, ἀπὸ τηλαυγέος φαινόμενος σκοπιῆς.

Neque tamen ibi ludit, ut posteri sane ludendi causa griphos protulerunt, sed rationem quandam quae propria fuerit veteris

[1]) Uxor cum dirigenda nave comparatur (vv. 457—60), res publica item (vv. 855—56), neque multum dirigendi equi simile ab illo distat, quod utrobique ipsum quoque usurpari potuisse contenderim. Ceterum non video quid obstet quominus iis temporibus haec edita esse putemus quibus Theagenes etiam in Isthmiaca Megarorum urbe — eam enim spectemus necesse erit, ut infra (§ 17) videbimus — regnum obtinuerit. Quem Belochius (Mus. Rhen. vol. 50 p. 252 adn. 1) Solonis posteriorem fuisse suspicatur, in quam sententiam nonnihil inclinor.

poësis in eo agnoscas. Unde tamen, si quid sentimus, ludus ille convivalis originem traxit. Similiter enim alterius cuiusdam ludi convivalis — parodiam dico — principia in poëtica scientia condita fuisse etiam videbimus (§ 13).

§ 12. De eis versibus in quibus femina aut loquitur aut poëtae appellatur.

Si id agimus ut ex usu convivali nostram syllogen prodiisse alicui probemus, planum fiat necesse est quid sibi velint eclogae perpaucae illae quidem sed quae explicationem sibi exposcant, in quibus aut femina loqui videtur aut poëta feminam appellat. Mulieresne etiam epulis et conviviis interfuisse credendum est? Minime inauditum hoc fuit tertio vel quarto saeculo, id quod comici nos edocent, velut legimus apud Athenaeum X p. 451b *Δίφιλος δ᾽ ἐν Θησεῖ τρεῖς ποτε κόρας Σαμίας φησὶν ᾽Αδωνίοισιν γριφεύειν παρὰ πότον.* Vocabantur autem *ἑταῖραι*, idque, ut opinor, ex analogia eius appellationis qua combibones *ἑταῖροι* appellabantur. Una enim cum his a Platone memorantur, cum in Republica (VII p. 568e) scribit *αὐτός τε καὶ οἱ συμπόται τε καὶ ἑταῖροι καὶ ἑταῖραι.* Compotrices igitur ibi intellegas. Quas cum uxores non fuisse consentaneum sit, non mirum est, quod in merum sensum meretricis postea ea vox abiit. Sed videamus ipsam nostram syllogen! De feminis quae, si non in ipso convivio, at certe inter commissatores affuerint eum cogitavisse non negaveris qui vv. 1063—68 ita loquitur:

᾽Εν δ᾽ ἥβῃ πάρα μὲν ξὺν ὁμήλικι καλ λῖθ᾽ εὕδειν,
ἱμερτῶν ἔργων ἐξ ἔρον ἱέμενον,
ἔστι δὲ κωμάζοντα μετ᾽ αὐλητῆρος ἀείδειν.
τούτων οὐδέν τοι ἄλλ᾽ ἔπι τερπνότερον
ἀνδράσιν ἠδὲ γυναιξί.

Commissantium deinde in agmine feminas fuisse agnoscas, cum Plutarchus scribit Moral. p. 596d: *μεθύοντας ἀπομιμούμενοι κώμῳ χρωμένους μετὰ γυναικῶν.*

Quae cum ita sint, compotricem vel sodaliciam feminam loquentem intelligere non vereor vv. 579—80 q. s.

Ἐχθαίρω κακὸν ἄνδρα, καλυψαμένη δὲ πάρειμι,
σμικρῆς ὄρνιθος κοῦφον ἔχουσα νόον.

Quod enim dicit '*πάρειμι*', verbum '*παρεῖναι*' etiam v. 487 ei qui dicit '*ἢ παρεὼν μὴ πῖνε*' ita usurpatur, ut 'in convivio adesse' proprie significet. Initialia deinde verba '*ἐχθαίρω κακὸν ἄνδρα*' haud dubie ab ista muliere eduntur ad captandam sodalium benevolentiam. Ut enim *ἀγαθὸς ἀνήρ* et *ἐσθλὸς ἀνήρ* nonnunquam nobiles designat (velut vv. 186, 188, 1112 de ea significatione dubitari non poterit), ita *κακὸς ἀνήρ* homines de plebe.[1]) Praeterea leviorem haec mulier se profitetur, unde *ἑταίραν* atque meretricem eam fuisse appareat. Illud quoque attenderim, non sine consilio insequens distichon huic subiectum videri, cum initiale verbum *ἐχθαίρω* cum eo commune habeat. Qui vv. pro responso mihi accipiuntur, quo mulier illa quae modo locuta sit respiciatur et meretrix (*γυνὴ περίδρομος*) appelletur. Neque grammaticum eos de suo arbitrio subiecisse crediderim sed convivalem responsionis morem agnosco (conf. § 15), ita ut sodalis hoc responsum dederit, sive aliunde hos versus deprompserit, id quod mihi statuitur,[2]) sive ipse eos composuerit.

Porro versibus 861—64 meretricem loqui vel obscaene ludere manifestum est. Cui initialia versuum 575—76 dicta q. s. *Οἵ με φίλοι προδιδοῦσιν* usurpantur et obscaenum in sensum transferuntur. Ut enim parodiae ludum prorsus

[1]) Apertissimum hoc est in his quae v. 187 sq. leguntur:
οὐδὲ γυνὴ κακοῦ ἀνδρὸς ἀναίνεται εἶναι ἄκοιτις
πλουσίου, ἀλλ' ἀφνεὸν βούλεται ἀντ' ἀγαθοῦ.
Ibi enim, ut insequentibus docemur, de iis agitur qui natione, non moribus boni vel improbi sint, querente poëta quod genus bonorum illis nuptiis coeperit contaminari.

[2]) Si ad hanc occasionem facti essent, non virilem cupidinem ille qui loquitur etiam perstrinxisset, ut opinor.

e consuetudine convivali fuisse proxima paragrapho videbimus, ita obscaenitates lascivioribus in cantico convivali placuisse cogoscas ex Attico scolio 22 (25 ap. Bgk.). Neque non Aristophanes Ecclesiazusarum vv. 938 sqq. q. s.

Εἴθ' ἐξῆν παρὰ τῇ νέᾳ καθεύδειν,
καὶ μὴ 'δει πρότερον διασποδῆσαι
ἀνάσιμον ἢ πρεσβυτέραν·
οὐ γὰρ ἀνασχετὸν τοῦτο γ' ἐλευθέρῳ

obscaenum carmen iuvenem quendam canentem inducit, quod ortum est sine dubio ex imitatione Attici scolii 6 (7 ap. Bgk.):

Εἴθ' ἐξῆν ὁποῖός τις ἦν ἕκαστος
τὸ στῆθος διελόντ', ἔπειτα τὸν νοῦν
ἐσιδόντα, κλείσαντα πάλιν
ἄνδρα φίλον νομίζειν ἀδόλῳ φρενί.

Illius enim et metrum et initialia verba *εἴθ' ἐξῆν* usurpantur.

Denique Argyridem, quam in mulierem vv. 1211—16 verba fiunt, *ἑταίραν* fuisse contenderim, quae convivio interfuerit atque '*παίζουσα*' (convivalem ludendi morem ibi intellego; conf. § 13 init.) poëtam ingrate carpserit. Hanc mulierem non ingenuam fuisse comperimus v. 1212, et sane credendum est, cum uxores nullas nisi liberas feminas fuisse vix opus sit meminisse, *ἑταίρας* plerumque liberas non fuisse. Sufficiat unde id intellegatur Alexidis comici hos versus, quos Athenaeus XIII p. 574b. c servavit, attulisse:

Ἀφροδίσι' ἦγε ταῖς ἑταίραις ἡ πόλις,
ἕτερα δὲ χωρίς ἐστι ταῖς ἐλευθέραις·
ταῖς ἡμέραις ταύταις δὲ κωμάζειν ἔθος
ἐστὶν νόμος τε τὰς ἑταίρας ἐνθάδε
μεθ' ἡμῶν.

§ 13. Parodiae.

In convivio veteres lusisse saepius comperimus. Velut Ion dicit (fr. 1, 16 Bgk.):

. . . *πίνειν καὶ παίζειν καὶ τὰ δίκαια φρονεῖν*

et (fr. 2, 7 Bgk.):

. . . *πίνωμεν, παίζωμεν· ἴτω διὰ νυκτὸς ἀοιδή.*

Carmine autem cantuque eos lusisse apparet, si quidem Pindarus Ol. 1, 21 sqq. ita de Hierone loquitur:

ἀγλαΐζεται δὲ καί
μουσικᾶς ἐν ἀώτῳ,
οἷα παίζομεν φίλαν
ἄνδρες ἀμφὶ θαμὰ τράπεζαν.

Quodsi quaeritur quomodo ea se habuerint quibus luserint in conviviis, primum quidem amatoria cantica debeas huc referre, si quidem Anacreontis poësim, quam amatoriam et simul convivalem fuisse supra (§ 9) intelleximus, etiam Horatius (carm. 4, 9, 9) ita denotat, ut eum lusisse dicat ea quae cecinerat. Etiam hilaria atque iocosa carmina designabimus quae huc cadant. Quod genus ut exemplo illustretur, Atticum scolium 21 (24 Bgk.) ponimus.

Ἁ ὗς τὰν βάλανον τὰν μὲν ἔχει, τὰν δ' ἔραται λαβεῖν·
κἀγὼ παῖδα καλὴν τὴν μὲν ἔχω, τὴν δ' ἔραμαι λαβεῖν.

Iocosis canticis et ludicras seriorum carminum imitationes attribuimus, quas parodias vocamus. Quae perfacile inter convivalia cantica enasci potuerunt, quibus id antiquitus contigisse proxima paragrapho videbimus, ut, cum ore lata fuerint, variatas textus formas induerent.

Quod igitur parodiae a nostra sylloge non absunt, inde quoque convivalis eius ratio appareat. Parodias autem has agnoscimus:

Obscaeni versus 861—64 a muliere, quam *ἑταίραν* fuisse supra (§ 12) statuimus, eduntur, usurpatis verbis *Οἵ με φίλοι προδιδοῦσι*, a quibus versus 575—76 incipiunt.

Deinde ex eroticis versibus 1365—66 q. s.

Ὦ παίδων κάλλιστε καὶ ἱμεροέστατε πάντων,
στῆθ' αὐτοῦ καί μου παῦρ' ἐπάκουσον ἔπη

hexameter depromptus est, ut hoc distichon fieret, quod versibus 1117—18 exstat:

Πλοῦτε, θεῶν κάλλιστε καὶ ἱμεροέστατε πάντων,
σὺν σοὶ καὶ κακὸς ὢν γίνεται ἐσθλὸς ἀνήρ.

Iocus enim quidam, si ita statuimus, nobis perspicuus est. Qui parodiae proprius certe fuit, neque contrarium accidisse crediderim, ut erotici versus, quod minus iocosum fuisset, ad alterius distichi exemplar conformarentur. Illud in his etiam attendimus, accommodatam esse horum versuum sententiam nobilium illorum hominum ingenio quorum in usum convivalem nostrae s. carmina facta esse supra (§ 4) nobis persuasimus. Fastidiebant autem illi, ut ibi vidimus, divitias. Nobilitatis studium cui iocus quidam immixtus sit percipere posse tibi videaris etiam in hac parodia quae vv. 1161—62 exstat:

Οὐδένα θησαυρὸν καταθήσειν παισὶν ἄμεινον·
αἰτοῦσιν δ' ἀγαθοῖς ἀνδράσιν, Κύρνε, δίδου.

Qui versus haud dubie nati et detorti sunt ex seriis versibus 409—10 q. s.

Οὐδένα θησαυρὸν παισὶν καταθήσῃ ἀμείνω
αἰδοῦς, ἥτ' ἀγαθοῖς ἀνδράσι, Κύρν', ἕπεται.

Parodiae igitur ludum e more convivali fuisse inde quoque appareat, quod locum habet in iis versibus quorum ratio convivalis aliunde nobis constet. Id quod praeterea cadit in hoc par distichorum, quae ita comparata sunt, alterumutrum ut alterius parodia non esse nequeat:

Vv. 301—02: *Πικρὸς καὶ γλυκὺς ἴσθι καὶ ἁρπαλέος καὶ ἀπηνής*
λάτρισι καὶ δμωσὶν γείτοσι τ' ἀγχιθύροις.

Vv. 1353—54: *Πικρὸς καὶ γλυκύς ἐστι καὶ ἁρπαλέος καὶ ἀπηνής,*
ὄφρα τέλειος ἔῃ, Κύρνε, νέοισιν ἔρως·

Hos enim amatorios, illos praeceptivos versus agnoscimus. In symposiacis deinde deprehendimus § 7 hoc par distichorum, in quo parodiae ratio apparet:

Vv. 1039—40: *Ἄφρονες ἄνθρωποι καὶ νήπιοι, οἵτινες οἶνον*
μὴ πίνουσ᾽ ἄστρου καὶ κυνὸς ἀρχομένου.
Vv. 1069—70: *Ἄφρονες ἄνθρωποι καὶ νήπιοι, οἵτε θανόντας*
κλαίουσ᾽, οὐδ᾽ ἥβης ἄνθος ἀπολλύμενον.

§ 14. Cum variatione iterati versus.

Convivalem rationem in nostra sylloge inde quoque agnoscas, quod omnino cum variatione iterati versus in ea occurrunt neque solum qui ex parodiae consilio variati sint. Quamquam enim, si quinto saeculo a. Chr. n. nostram syllogen iam exstitisse dixeris, minime illud concedere repugno, — neque enim grammaticum qui eam perscripserit mihi fingo (cf. § 16) — quamvis deinde Theognidem carmina sua chartis mandavisse non negem, non ignorans quam vulgata iam vetustis temporibus scribendi ars fuerit apud Graecos, tamen ore potius lata esse crediderim quae in conviviis cantata sunt quam ut e libris puerorum more ediscerentur. Neque non quo nitatur huic opinioni suppeditat. Exstat gravissimum Xenophanis testimonium, qui poëta fr. 1, 19—20 (Bgk.) convivalem cantandi morem his verbis attingit:

ἀνδρῶν δ᾽ αἰνεῖν τοῦτον, ὃς ἐσθλὰ πιὼν[1]) *ἀναφαίνει,*
ὥς οἱ μνημόσυν᾽ ᾖ.[2])

Unde ex memoria convivalia carmina a potoribus recitata esse tibi persuadeas. Id quod etiam sentiri potest et divinari, si ea aspicimus quae ex Solonis, Tyrtaei, Mimnermi carminibus in nostram syllogen recepta esse aliunde comperimus. Quae omnia haudquaquam invariata ibi exstant. Atque Tyrtaei versus qui inde a v. 935 leguntur valde truncatam

---

[1]) Poculum circumferebatur, unde ei qui cantum suscipiebat bibendum erat; cf. Reitzenstein Epigr. u. Skol. p. 31 adn. 1.

[2]) Ita pro *ὡς ἡ μνημοσύνη* scribendum esse censeo Bergkium sequens. Kaibelius posuit *ὥς οἱ μνημοσύνη* in Athenaei editione.

textus formam acceperunt. Itaque minime miror, quod quaedam quae ipsius nostrae sylloges sunt variata iterum in ea exstant. Etenim liberius sodales iis uti solebant quae apud eos in usu erant, neque id tenuerunt, ut quam accuratissime textum servarent. Quem non omni potori in promptu fuisse poteris suspicari. Sed noluerunt etiam in ea re operam impendere, idque, credo, eo magis spreverunt, quo ipsi etiam minus expertes fuerint scientiae poëticae. Ut enim iam in Archilochi, Tyrtaei, aliorum veterum poëtarum elegiis Homerica dicta usurpantur, ita sine scrupulo posteri ab illis quaedam sumpserunt, quae metrice composita iam erant. Atque illi qui in nostra s. loquuntur abunde iam quae clariorum poëtarum sunt in suum usum convertunt. Velut, ut pauca afferam, pentametri exitus q. e. *αὐχένα λοξὸν ἔχει* et apud Tyrtaeum occurrit (fr. 11, 2 Bgk.) et alio sensu nostrae s. versu 536; hexametri initium q. e. *ἀνδράσιν ἠδὲ γυναιξίν* et apud Mimnermum (fr. 1, 5 Bgk.) et nostrae s. v. 1067; pentametri dicta *ἀνθρώπων ὁπόσους ἠέλιος καθορᾷ*, quae versum 168 nostrae s. efficiunt, consimilia sunt eis quibus Solon utitur cum dicit fr. 14, 2 (Bgk.) *ὅσους θνητοὺς ἠέλιος καθορᾷ.* Quod deinde ad Theognidem attinet, vix credibile est eum sua ipsius dicta quae in elegia ad Cyrnum data v. 189 sq. leguntur, dico verba

καὶ ἐκ κακοῦ ἐσθλὸς ἔγημεν | καὶ κακὸς ἐξ ἀγαθοῦ,

hunc in modum v. 661—62 refinxisse:

καὶ ἐκ κακοῦ ἐσθλὸν ἔγεντο, | καὶ κακὸν ἐξ ἀγαθοῦ,

sed ad posterum imitatorem haec referemus, cui saepius audita ea dicta animo obversata sint. Similiter Theognidea versuum 27—28 dicta q. s.

Σοὶ δ᾽ ἐγὼ εὖ φρονέων ὑποθήσομαι, οἷά περ αὐτός,
Κύρν᾽, ἀπὸ τῶν ἀγαθῶν παῖς ἔτ᾽ ἐὼν ἔμαθον

initio versuum 1049—54 ab eo qui loquitur refinguntur, ubi legimus:

Σοὶ δ' ἐγὼ οἷά τε παιδὶ πατὴρ ὑποθήσομαι αὐτός
ἐσθλά·

Loquuntur igitur in quibusdam nostrae s. eclogis qui quaedam a clarioribus poëtis acceperint, quibus liberius etiam uti soliti sint. Quocum convenit quod ipse Theognis ne sua dicta ab aliis usurpata in peius verterentur iam veritus est (resp. vv. 19—23). Convivalis autem illius collegii quod statuimus[1]) participes illos fuisse consentaneum est, cum in eo collegio qui poëticam artem exercerent fuisse intellegi liceat ex vv. 667—82 et 789—92, in quibus qui loquuntur et poëtas se profitentur et bonorum h. e. nobilium sodalicii participes. Illi igitur, qui ipsi etiam moderatores erant poëticae scientiae, non ad verbum edidicerunt quae aliorum poëtarum erant, sed plus minusve mutata ea refinxerunt.

Ex nostra igitur ratione quam iniimus maxime perspicuum fit cur nonnulla quae ipsius nostrae s. sunt variata iterum in ea exstent. Addiderim quaedam etiam in Atticis scoliis, quae convivalia carmina fuisse nemo negabit, cum varietate lectionis iterum legi. Quattuor enim illa quibus Harmodius et Aristogito celebrantur (10, 11, 12, 13 ap. Athenaeum) non strophas unius carminis esse apparet, cum pro verbis excepto scolio 11 simillima sibi sint. Ceterorum enim si primum versiculum abscideris, haec restant:

ὥσπερ Ἁρμόδιος καὶ Ἀριστογείτων,
ὅτε τὸν τύραννον κτανέτην
ἰσονόμους τ' Ἀθήνας ἐποιησάτην.

ὥσπερ Ἁρμόδιος καὶ Ἀριστογείτων,
ὅτ' Ἀθηναίης ἐν θυσίαις
ἄνδρα τύραννον Ἵππαρχον ἐκαινέτην.

[1]) Respicimus ea quae § 4 exposuimus.

φίλταθ' Ἁρμόδιος καὶ Ἀριστογείτων,
ὅτι τὸν τύραννον κτανέτην,
ἰσονόμους τ' Ἀθήνας ἐποιησάτην.

Quamobrem triplicem ibi unius sententiae variationem agnosco, neque assentior Reitzensteinio quod (Ep. u. Skol. p. 22—23) in duas partes quae stropha et antistropha constent quattuor horum carminum contextum distribuit. Congruunt inter se etiam scolia 15 et 16 (ap. Athen.) maxima ex parte q. s.

Παῖ Τελαμῶνος Αἶαν αἰχμητά, λέγουσί σε
ἐς Τροΐαν ἄριστον ἐλθεῖν Δαναῶν μετ' Ἀχιλλέα.

Τὸν Τελαμῶνα πρῶτον, Αἴαντα δὲ δεύτερον
ἐς Τροΐαν λέγουσιν ἐλθεῖν Δαναῶν μετ' Ἀχιλλέα.

Ceterum non afuit ibi etiam consilium variandi. Quod genus variationis idem in nostra s. a nobis observatum est in antecedenti paragrapho, si quidem ea ibi vidimus quae ex parodiae ratione deflexa sunt. Crederes, quod fortuito primum accidisse consentaneum est, variatas formas ut textus indueret, consilio id etiam nonnunquam esse appetitum.

Vidimus in universum variationes locum habuisse in carmine convivali. Etiam si inspicere velis, quemadmodum variata ea sint quae iterum in nostra s. occurrunt, convivalem usum ea subiisse cognoscas. Velut ea quae ex parodiae ratione variata sunt convivalia cantica fuisse iam nobis persuasimus (vid. § 13). Quibus addimus nunc ea quae unius vel etiam plurium distichorum iactura in breve coacta sunt. Breviata enim cantica posteris temporibus convivalibus placuisse supra iam intellexisse nobis videmur, cum iis quae in oratione ad Nicoclem § 43 de eligendis ex Theognide sententiis Isocrates dicit convivalem usum qui eius temporibus fuerit illustrari statuebamus (vid. § 2). Huc adde quod Attica scolia, quae convivalia cantica fuisse constat, perexigui ambitus sunt. Neque non veteres gram-

matici scolia breviora carmina fuisse senserunt, cum scolii nominis eam explicationem temptaverint, '*κατ' ἀντίφρασιν*' ut scolia ita appellata esse contenderent, quippe quae brevia fuerint et simplicia.[1]) Quae cum ita sint, nonnihil ei quoque rei tribuimus, quod excolendae minutioris sententiarum formae studium in nostra s. percipitur. Ea enim quae aliunde deprompta sunt, praeterquam quod variationes subierunt, nonnunquam etiam breviata ibi leguntur, velut vv. 935—38 ex tribus Tyrtaei distichis duo evenerunt et vv. 1017—22, qui Mimnermi sunt, in fine unum distichon abiecerunt. Quae dum intueor, in eam sententiam inclinor, ut quae eclogae in repetitis ambitu differant, truncatas eas arbitrer, non ampliatas altero loco exstare. Hoc, non contrarium statuendum esse etiam, si quaedam quae bis leguntur aspicias, tibi perspicuum fiat. An cuiquam dubium esse potest, quin vv. 1071—74 ex vv. 213—18 contracti sint omisso medio disticho q. e.

Πουλύπου ὀργὴν ἴσχε πολυπλόκου ὃς ποτὶ πέτρῃ,
τῇ προσομιλήσῃ, τοῖος ἰδεῖν ἐφάνη?

Conf. Bergkii adnotationem ad v. 215, unde hos vv. una cum insequentibus duobus ex epica poësi fluxisse tibi persuadeas. Porro versuum 367—70 q. s.

Ἀστῶν δ' οὐ δύναμαι γνῶναι νόον ὅντιν' ἔχουσιν·
οὔτε γὰρ εὖ ἔρδων ἁνδάνω οὔτε κακῶς·
μωμεῦνται δέ με πολλοί, ὁμῶς κακοὶ ἠδὲ καὶ ἐσθλοί·
μιμεῖσθαι δ' οὐδεὶς τῶν ἀσόφων δύναται

prius distichon post v. 1182 codd. AO et post v. 1186 cod. K repetunt, neque dubitem, quin ex eo contextu sumptum sit. Alterum enim distichon ex veteris poësis ratione proprie

---

[1]) Vide scholiastam ad Aristophanis Vespar. v. 1239: *ἔνιοι δέ φασιν ὡς ἐκ τοῦ ἐναντίου προσηγορεύθησαν σκολιὰ τὰ παροίνια μέλη· ἁπλᾶ γὰρ αὐτὰ ἐχρῆν εἶναι καὶ εὔκολα ὡς παρὰ πότον ᾀδόμενα* et Suid. s. v. *σκολιόν· τὸ ῥᾴδιον κατ' ἀντίφρασιν, μέλος τι ὀλιγόστιχον.*

eum attinet qui loquitur. Nemo deinde negabit vv. 53—60 inde a v, 1109 ita repeti, ut prior eius elegiae pars q. e.

Κύρνε, πόλις μὲν ἔθ' ἥδε πόλις, λαοὶ δὲ δὴ ἄλλοι·
οἳ πρόσθ' οὔτε δίκας ᾔδεσαν οὔτε νόμους,
ἀλλ' ἀμφὶ πλευρῇσι δορὰς αἰγῶν κατέτριβον,
ἔξω δ' ὥστ' ἔλαφοι τῆσδ' ἐνέμοντο πόλευς,
καὶ νῦν εἴσ' ἀγαθοί, Πολυπαΐδη· οἱ δὲ πρὶν ἐσθλοί
νῦν δειλοί· τίς κεν ταῦτ' ἀνέχοιτ' ἐσορῶν;

ad hanc formulam perbrevem ibi redacta sit:

Κύρν', οἱ πρόσθ' ἀγαθοὶ νῦν αὖ κακοί, οἱ δὲ κακοὶ πρὶν
νῦν ἀγαθοί· τίς κεν ταῦτ' ἀνέχοιτ' ἐσορῶν;

Iam vero pars eius posterior eodem illo loco uno disticho aucta videtur esse. Legimus enim post verba *τίς κεν ταῦτ' ἀνέχοιτ' ἐσορῶν*; inde a v. 1111:

τοὺς ἀγαθοὺς μὲν ἀτιμοτέρους, κακίους δὲ λαχόντας
τιμῆς; μνηστεύει δ' ἐκ κακοῦ ἐσθλὸς ἀνήρ,

cum altero loco ei versiculo qui in *ἐσορῶν* exit statim finale distichon — si modo est illud finale — subiiciatur. Vereor autem an specie decipiamur, si insiticium illud distichon esse statuimus. Neque Schäferus, qui hoc statuit in dissertatione q. i. de iteratis Theognidis distichis p. 9—10, mihi quidem ita persuasit, ut omnem dubitationem abiiciam. Qui ita ratiocinatur:

> Qui alterum locum confecit, sive quod *ταῦτ'* in versu 58 eodem modo quo *ταῦτ'* in versu 99:
> — — *σὺ δέ μοι, φίλε, ταῦτ' ἐνὶ θυμῷ | φράζεο*
> ad ea, quae antecedunt, pertinens non intellexit, sive quod quid posset probare voluit, inter primum et alterum distichon duos versus inseruit, imperite atque inscite ad versuum Theognideorum exemplar factos; cf.
> v. 666 — — *καὶ τιμῆς καὶ κακὸς ὢν ἔλαχεν,* [*ἀνήρ*
> v. 186 — — *γῆμαι δὲ κακὴν κακοῦ οὐ μελεδαίνει | ἐσθλὸς*
> v. 234 — — *ὀλίγης τιμῆς ἔμμορεν ἐσθλὸς ἀνήρ!*
> v. 190 — — *καὶ ἐκ κακοῦ ἐσθλὸς ἔγημεν.*

Quae est lubrica argumentatio atque incerta meo sensu. Imitatores enim flosculos Theognideos arripuisse minime nego, velut eum qui vv. 659—66 edidit, qua in ecloga haec occurrunt v. 661 sq.:

— — *καὶ ἐκ κακοῦ ἐσθλὸν ἔγεντο, | καὶ κακὸν ἐξ ἀγαθοῦ,*

Theognidea haec verba respexisse crediderim quae v. 189 sq. exstant:

— — *καὶ ἐκ κακοῦ ἐσθλὸς ἔγημεν, | καὶ κακὸς ἐξ ἀγαθοῦ.*

Attamen, si ista posteri imitatoris sunt, idem de iis dictis affirmare debeas quae primo loco Schäferus denotat, cum in eadem ecloge legantur v. 666. Itaque ea dicta omnino non curo. In reliquis deinde, quae denotat, parvi pendas eas similitudines quae cum nostro loco intercedunt. Differentias quasdam potius agnoscas, cum v. 234 habeamus *τιμῆς ἔμμορεν*, non *ἔλαχεν*, v. 190 *ἐκ κακοῦ ἐσθλὸς ἔγημεν*, non *μνηστεύει*. An ei rei aliquid tribuis, quod *ἐσθλὸς ἀνήρ* v. 186 et 234 exstat? Ceterum, quamvis similia alibi in Theognideis exstent, quo iure nostro loco imitatorem agnoscas possis etiam dubitare. Neque enim clariores etiam poëtae quibusdam bis uti veriti sunt,[1]) in quibus ipsum Theognidem fuisse apparet. Ille enim, ut quae suspecta alicui videantur reticeam,[2]) bis posuit *γνώμην ἐξαπατῶσι* versibus minime suspectis. Qui sunt vv. 128 et 554:

---

[1]) Velut Tyrtaeus bis hexametrum exeuntem finxit in verba *παρ' ἀλλήλοισι μένοντες*, quae et fr. 10, 5 et 11, 11 ap. Bgk. leguntur, cum consimiles vel eosdem pentametri exitus hos observemus in Solonis elegiis:

fr. 4, 11 (Bgk.): *ἀδίκοις ἔργμασι πειθόμενοι*
„ 13, 11 „ : *ἀδίκοις ἔργμασι πειθόμενος*
„ 13, 76 „ : *ἄλλοτε ἄλλος ἔχει*
„ 15, 4 „ : *ἄλλοτε ἄλλος ἔχει.*

Conf. Simonideos hexametri exitus qui fr. 135, 3 et 138, 1 ap. Bgk. leguntur.

[2]) Etiam fraude Cyrni nomen quibusdam versibus insertum esse infra (p. 69—70) videbimus.

πολλάκι γὰρ γνώμην ἐξαπατῶσ' ἰδέαι·
εἰ μὴ ἐμὴν γνώμην ἐξαπατῶσι θεοί·

Atque v. 554 plane etiam congruit cum v. 540, qui et ipse Cyrni nomine notato in disticho occurrit. Nihil igitur ei rei tribuerim, quod quaedam iterum leguntur apud eundem poëtam. Quod deinde Schäferus opprobrium in eo positum, quod boni malorum filias uxores ducant, a nostro loco plane alienum esse dicit, opprobrium nullum intellego, crediderim vero non inepte hos duos versiculos subiici superioribus dictis q. s.

τίς κεν ταῦτ' ἀνέχοιτ' ἐσορῶν;

Quamvis enim vocem *ταῦτα* ad ea referamus necesse sit quae enuntiata sunt, quam sententiam in illis expressit, resumere tamen potuit poëta et retentare, sicut v. 95 verba '*τοιοῦτός τοι ἑταῖρος ἀνήρ*' non solum ad ea pertinent quae enuntiata sunt sed proximi versiculi enuntiato relativo rursus illustrationem accipiunt. Causam deinde si perspexeris, qua re id accidisse credendum sit, quod boni pro improbis, improbi pro bonis fuerint, non miraberis amplius, quod poëtae additur hoc loco *μνηστεύει δ' ἐκ κακοῦ ἐσθλὸς ἀνήρ*. Eam enim eius rei causam fuisse consentaneum est, ut, cum nobiles paupertate impediti essent, de plebe aliqui homines divitiarum potestate in re publica aliquid valere coeperint, unde id etiam nobilium ordini evenisse Theognideis versibus 183—92 edocemur, ut in matrimonium illis acceptis degeneraret. Sed haec hactenus! Statuerim igitur Theognidis elegiam inde a v. 1109 in priore parte valde truncatam, in posteriore integriorem legi. Quae ratio simplicior mihi videtur, quam ut hunc in modum convivalia carmina ampliata esse censeam. Quamquam, ne consilio aliquid videar reticuisse, pusilla cum amplificatione versus 801—04 q. s.

Οὐδεὶς ἀνθρώπων οὔτ' ἔσσεται οὔτε πέφυκεν,
ὅστις πᾶσιν ἁδὼν δύσεται εἰς Ἀΐδεω·

οὐδὲ γὰρ ὃς θνητοῖσι καὶ ἀθανάτοισιν ἀνάσσει,
Ζεὺς Κρονίδης, θνητοῖς πᾶσιν ἁδεῖν δύναται.

ex Theognideis quibusdam dictis consarcinatos esse mihi quoque statuitur. Legimus enim in prima elegia qua Cyrnus appellatur inde a v. 23:

— — πάντας δὲ κατ᾽ ἀνθρώπους ὀνομαστός
ἀστοῖς τοῖσδ᾽ οὔ πω πᾶσιν ἁδεῖν δύναμαι·
οὐδὲν θαυμαστόν, Πολυπαΐδη· οὐδὲ γὰρ ὁ Ζεὺς
οὔθ᾽ ὕων πάντεσσ᾽ ἁνδάνει οὔτ᾽ ἀνέχων.

Apparet autem quae proprie ibi de se Theognis profitetur speciem sententiae vel *γνώμης* altero loco induisse. Consilium igitur studiumque iam in hac mutatione percipitur, et poëtae alicui haec tribuemus qui posteris temporibus, ubi *γνῶμαι* convivalibus magis placuerunt,[1]) ea e Theognideis dictis elicuerit. Contra quid consilii tenuerit posterior poëta inserendis versibus 1111—12 mihi quidem minus perspicuum fit.

Dubito etiam, an Solonis ea verba quae inde a v. 719 leguntur in exitu ita se habente breviata sint:

— — — — — — τὰ γὰρ περιώσια πάντα
χρήματ᾽ ἔχων οὐδεὶς ἔρχεται εἰς Ἀΐδεω,
οὐδ᾽ ἂν ἄποινα διδοὺς θάνατον φύγοι οὐδὲ βαρείας
νούσους οὐδὲ κακὸν γῆρας ἐπερχόμενον.

Quae per se sane plana sunt, neque quicquam desideratur, sed reperitur praeterea in nostra s. versuum 1187—90 haec ecloge, cui haud dubie aliquid cum extremo illorum versuum disticho intercedit:

Οὔτις ἄποινα διδοὺς θάνατον φύγοι οὐδὲ βαρεῖαν
δυστυχίην, εἰ μὴ μοῖρ᾽ ἐπὶ τέρμα βάλοι.
οὐδ᾽ ἂν δυσφροσύνας, ὅτε δὴ θεὸς ἄλγεα πέμποι,
θνητὸς ἀνὴρ δώροις βουλόμενος προφύγοι.

---

[1]) Respicimus quod in fine alterius paragraphi exposuimus.

§ 15. Convivalia vestigia apparent in eclogarum ordinatione.

Convivalem usum nostram syllogen habuisse inde etiam concludi potest, quod in eclogarum ordinatione duo insignia cum Atticis scoliis communicat, alterum illud, quod hymni in deos facti initiales exstant, cuius rei convivalem rationem supra (§ 6) iam deteximus, alterum in eo positum, quod non raro quae sese eclogae excipiunt sibi respondent concinentes illae quidem aut sententiarum argumento aut in compositione verborum. Id egisse nostrae sylloges auctorem, ut eiusdem argumenti sententias componeret, et Bergkius agnovit in quarta poët lyr. editione II p. 235. Quod vero responsionis unum hoc genus intellegit, ut quae inter se responsent argumenta communicent, vereor ne nimis arte responsionis rationem definierit, etsi latius hoc genus in nostra s. patere concedo. Versus enim 1153—54 et 1155—56 praeterquam quod in argumento concinunt — obloquuntur autem sibi, id quod fieri potest — in eadem verba exeunt q. s. *μηδὲν ἔχοντι κακόν.* Ibi igitur haec altera responsio, ut ipsa verba assimulentur et repetantur, praeter eam quae vulgo agnoscitur ultro adhibita est. Neque ab Atticis scoliis ea abest, si quidem haec cantica ibi se excipiunt, quae etiam in metro consentiunt.

Scol. 15 (17 Bgk.):

Παῖ Τελαμῶνος Αἶαν αἰχμητά, λέγουσί σε
ἐς Τροΐαν ἄριστον ἐλθεῖν Δαναῶν μετ᾽ Ἀχιλλέα.

Scol. 16 (18 Bgk.):

Τὸν Τελαμῶνα πρῶτον, Αἴαντα δὲ δεύτερον
ἐς Τροΐαν λέγουσιν ἐλθεῖν Δαναῶν μετ᾽ Ἀχιλλέα.

Scol. 17 (19 Bgk.):

Εἴθε λύρα καλὴ γενοίμην ἐλεφαντίνη,
καί με καλοὶ παῖδες φέροιεν Διονύσιον ἐς χορόν.

Scol. 18 (20 Bgk.):

Εἴθ' ἄπυρον καλὸν γενοίμην μέγα χρυσίον,
καί με καλὴ γυνὴ φοροίη καθαρὸν θεμένη νόον.

Rursus igitur nunc aliquid observamus quod aeque in Atticis scoliis locum habet atque in nostra sylloge, et rursus tale quid illud est, ut convivalem consuetudinem facile in eo agnoscas. Responsionis morem cum cantu convivali coniunctum fuisse aliunde quoque constat. Velut cantica suscipere solitos esse potores ex Dionysii Chalcuntis versibus apud Athenaeum XV p. 669 e servatis apertum fit, quibus sodalem quendam in hunc modum appellat:

— — δέχου τήνδε προπινομένην
τὴν ἀπ' ἐμοῦ ποίησιν· ἐγὼ δ' ἐπιδέξια πέμπω
σοὶ πρώτῳ χαρίτων ἐγκεράσας χάριτας,
καὶ σὺ λαβὼν τόδε δῶρον ἀοιδὰς ἀντιπρόπιθι,
συμπόσιον κοσμῶν καὶ τὸ σὸν εὖ θέμενος.

Accedit Aristophanis testimonium. Vesparum enim v. 1222, ubi Bdelycleo dicit:

τούτοις ξυνὼν τὰ σκόλι' ὅπως δέξει,

et sequentibus scolia Athenis ita in convivio cantata esse docemur, ut alius conviva alio scolio illud quod modo cantatum sit susceperit. Urbani autem hominis fuisse ibi comperimus, ut in promptu haberet, quo altero scolio cantum susciperet (resp. vv. 1236—40). Quid autem? Nihilne relationis fuit suscipiendo alicui scolio cum eo quo illud suscipi debebat? Et orationes videamus quae in Platonis Symposio a convivalibus habentur! Quas ita accipere debeas, ut pro canticis fuerint. Cum enim cantandi morem convivalem Platonis temporibus fere evanuisse credendum nobis sit, qui quo tempore Aristophanes Nubas docuit obsoletus iam fuit,[1]) in eo quod '*ἐπὶ δεξιά*' circumeunt (vide p. 117 d

[1]) Respicimus eius comoediae vv. 1355—58, ubi Phidippidi iuveni antiquum (*ἀρχαῖον*) videtur ad citharae cantum in convivio canere.

et 214 b) rursus ea ratio apparet quam in carminum cantu usitatam fuisse ex Dionysii modo allatis versibus cognoscas quae sunt

ἐγὼ δ' ἐπιδέξια πέμπω
σοὶ πρώτῳ χαρίτων ἐγκεράσας χάριτας.

Haec dum intueor, illud non nullius momenti mihi videtur esse, quod Platonici dialogi orationibus eadem res tractatur, cum omnes pertineant ad laudem Amoris. Morem igitur convivalem in eo quoque agnoscimus, idque eo magis, quod etiam in ludicris convivalibus haec veteribus placuisse Clearchus testatur apud Athenaeum X p. 457 e:

τῷ πρώτῳ ἔπος [ἢ] ἰαμβεῖον εἰπόντι τὸ ἐχόμενον ἕκαστον λέγειν καὶ τῷ κεφάλαιον εἰπόντι ἀντειπεῖν τὸ ἑτέρου ποιητοῦ τινος, [ὅτι] εἰς τὴν αὐτὴν εἶπε γνώμην.

Haec responsio, ut quae ad eandem sententiam faciant sese excipiant, etiam in nostra sylloge latius patet, longumque est omnia quae huc cadant persequi et ponderare. Quod vero in Platonis Symposio l. l. complures convivae '*ἐν μέρει*' eandem rem tractant, non binae solum sed plures interdum eiusdem argumenti eclogae in nostra s. sibi succedunt. Velut eiusmodi eclogarum has series excerpere possis:

Vv. 61—68, 69—72, 73—74, 75—76, 77—78, 79—82, 83—86.
" 101—04, 105—12, 113—14.
" 173—78, 179—80, 181—82, 183—92, 193—96.
" 467—92, 493—96, 497—98, 499—502, 503—08, 509—10.
" 793—96, 797—98, 799—800, 801—04.

Aliud praeterea responsionis genus agnoscimus, quod fortasse cum isto cohaeret. Constat autem illud alterno sermone, originemque inde duxit mea opinione, quod aemuli doctiores in certamen musicum descendere soliti sunt, quem morem versus 993—96 detegunt. Qua ex contentione adversaria ad altercationes etiam rixasque nonnunquam

convivas provectos esse facile credas. Cuius generis sermones, in quibus poëta cum aliquo homine rixetur, a nostra s. non abesse supra (§ 8) iam vidimus, ubi etiam quam maxime in eam suspicionem nobis venerant ut convivalia cantica fuerint. Alterna autem contentione talia iactata esse cum e rerum natura sit, tum ex his concludi potest, quae Homerici hymni in Merc. v. 54 sqq. exstant:

θεὸς δ' ὑπὸ καλὸν ἄειδεν
ἐξ αὐτοσχεδίης πειρώμενος, ἠΰτε κοῦροι
ἡβηταὶ θαλίῃσι παραιβόλα κερτομέουσιν.

Quo loco si quaeritur quid insit in dictis '*παραιβόλα κερτομέουσιν*', nescio quibus rationibus confisus Engelbrechtus in dissertatione q. i. de scoliorum poësi (Vindob. 1882) hoc iudicium tulerit p. 17:

> Quod si Ilgen, ut obiter id quoque commemorem, affirmat *παραιβόλα* significare 'invicem, alterna contentione', falsus est; nam idem est *παραιβόλα* ac *παραβλήδην* vel ut Latine dicam 'occulte'.

Quo iure igitur hoc statuerit fateor me nescire. Neque enim exemplum attulit. *Παραβλήδην* vero eadem ratione atque *ἀμοιβαδίς* haud dubie ab Apollonio Rhodio Argon. II 450 usurpatur, cum his dictis:

Ὣς τώγ' ἀλλήλοισιν παραβλήδην ἀγόρευον

statim subiiciat

αὐτίκα δ' οὐ μετὰ δηρὸν ἀμειβομένων ἐφαάνθη | Ἠριγένης.

Παραβάλλειν λόγους deinde in Platonis Symposio (p. 214 c) de sermone edendo dicitur qui par sit eis qui ab aliis convivis iam editi sint. Qui alter sensus et ipse in nostrum locum egregie cadere mihi videtur. Non recte omnino Engelbrechtus hoc instituit mea sententia, quod contra Ilgenum faciens scoliorum poësim eo loco significari negavit. Quamquam enim summa comparationis in eo posita est, ut fortuito edita neque meditata sint et ea quae Mercurius canit et ea quibus iuvenes in convivio se lacessant, non

video tamen quo iure inde cantica intelligere vetemur quibus inter se iuvenes cavillentur. Talia deinde subito et ex tempore cantata esse consentaneum sane est. Neque miror, si et responsionis legi obtemperaverunt. Quod enim, quasi inter se homines loquantur, convivalia carmina se excipiunt, eius generis exempla nonnulla in nostra s. exstare vix poterit negari. Velut mulieri isti quae vv. 579—80 loquitur sequenti disticho responsum dari supra (§ 12) iam nobis videmur intellexisse. Addiderim ad ea quae ibi exposui, parodiae rationem apparere in responso, cum a verbo *ἐχθαίρω* utrumque distichon incipiat, eum vero obloquendi modum, ut per parodiam canticum obiiciatur, observari praeterea in versibus 1155—56, si quidem contrarium fere ibi enuntiatur atque in antecedenti disticho, unde exeuntia verba usurpantur. Quasi inter se homines loquantur, et duo disticha quae inde a v. 1044 leguntur se excipiunt. Cum enim vv. 1044—45 pars convivarum se domum dormiendi causa ituros esse enuntiavissent, subiiciuntur ea quibus praedicitur fore ut ab illis, quamvis dormiant, ceterorum turba tamen recipiatur commissabunda. Denique, ut alia omittam, vv. 1211—16 pro responso accipias, quo aliud carmen exceptum fuerit, quod nunc non exstat. Mulieri enim poëta ibi obloquitur, hetaerae nimirum, quae ludens eum ingrate carpserat. Ludere autem aliquis solebat carmine convivali, ut supra (§ 13) vidimus.

In convivio igitur potores carmine cantuque etiam '*ἀμοιβαδὶς ἐμυθοῦντο*', ut Apollonii Rhodii verbis utar, quae ille posuit Argon. I 457—59 ita loquens:

— — — *μετέπειτα δ' ἀμοιβαδὶς ἀλλήλοισιν*
μυθεῦνθ', οἷά τε πολλὰ νέοι παρὰ δαιτὶ καὶ οἴνῳ
τερπνῶς ἑψιόωνται, ὅτ' ἄατος ὕβρις ἀπείη.

Quem locum etiam Engelbrechtus p. 18 respexit una cum Pindari verbis *οἷα παίζομεν φίλαν ἄνδρες ἀμφὶ θαμὰ τράπεζαν* (Ol. 1, 22). Dicit autem deinde:

'Quibus locis inspectis quis quaeso putabit agi de scoliorum poësi?'
Ego hoc de me quam maxime affirmaverim, quod Pindari locum attinet. Et miror, quod antecedentia Pindari verba non respexit q. s. *ἀγλαΐζεται δὲ καὶ μουσικᾶς ἐν ἀώτῳ.* Quibus aperte declaratur musicam artem ab iis non afuisse quae in convivio ex tempore etiam et fortuito iactata sint. Quamquam illud non cadit in recentiora tempora, quibus mos cantandi omnino evanuit, ita ut dubitare aliquis possit, num Apollonius, cum dixit *ἀμοιβαδὶς μυθεῦντο,* cantum etiam designare voluerit, cum responsionis morem sine dubio attigerit.

§ 16. Non merum florilegium nostra sylloge est.

Ex usu convivali nostram s. fluxisse eo facilius alicui persuadebimus, quo magis eam non merum elegiacae poësis florilegium esse manifestum et perspicuum est. Id quod sentire interdum iam nobis videbamur. Neque enim temere ea quae ab aliis poëtis deprompta sunt recepta esse nobis videbantur, sed vv. 315, qui Solonis sunt, in stasioticis deprehendimus, vv. 719—28, qui Solonis sunt, et Mimnermi illos qui inde a v. 1017 leguntur in symposiacis. Cui argumento alia adiici possunt. Epigrammata enim, si vocabuli illius proprium et antiquum sensum spectamus, plane absunt a nostra collectione, quamvis cum isto poësis genere et de elegiaco metro et in affectione brevitatis consentiat. Atque scolium h. e. canticum convivale in eo quod brevitatem sibi exposcebat etiam a veteribus grammaticis cum epigrammate comparatur.[1]) Cur igitur nullum Simonidis vel Anacreontis epigramma in ea exstat ut in Anthologia Palatina? Pro

[1]) Vide scholastiam ad Plat. Gorg. p. 451 e: *εἰρῆσθαι δὲ αὐτὸ σκολιὸν κατ' ἀντίφρασιν, ὅτι ῥᾴδια καὶ ὀλιγόστιχα ὡς ἐπιγράμματα.*

titulis et elogiis vivi homines ubique loquuntur, quos convivii participes fuisse suspicamur. Neque vv. 1209—10 q. s.

> *Αἴθων μὲν γένος εἰμί, πόλιν δ' εὐτείχεα Θήβην*
> *οἰκῶ, πατρῴας γῆς ἀπερυκόμενος*

pro epigrammate accipias, sed vivit qui ibi loquitur. Quod vero vv. 255—56 q. s.

> *Κάλλιστον τὸ δικαιότατον· λῷστον δ' ὑγιαίνειν·*
> *πρῆγμα δὲ τερπνότατον, τοῦ τις ἐρᾷ, τὸ τυχεῖν.*

Aristoteles '*Δηλιακὸν ἐπίγραμμα*' esse dicit,[1]) non ob eam causam ad propriam epigrammatis definitionem revocandi sunt, cum nihil aliud dicat nisi eos forte inscriptos fuisse in templo Apollinis.

Apparet igitur nostram s. non merum florilegium esse quod ex veterum poëtarum carminibus grammaticus quidam homo concinnaverit suo arbitrio. Quem si fingimus, mirificum sane hominem fingimus. Cur enim vetustiora tantum respexit? Cur nonnulla variata et breviata iterum posuit? Cur tanto studio elegit quae ad bonos attineant et nobilibus faveant, quamquam in ceteris quae sibi obloquantur saepe recepit? Porro miraculum illud est, cum ea tantum elegerit quae usum convivalem habuerint, neque non in ordinandis iis quid ceperit consilii retexerit, quod titulo destitutum hoc opus edidit, ita ut a posteris pro genuinis Theognidis carminibus accipi potuerit. De eo enim dubitari nequit, quin posteri in hunc errorem inciderint (cf. p. 5). Qui quomodo enasci et serpere potuerit ex nostra demum ratione perspicuum fieri in extrema huius diss. parte (§ 17) demonstrare conabor. Videtur autem ille grammaticus quem fingimus etiam consilio posteros fefellisse, qui statim post prooemia Theognidis versus posuerit quibus et nomen suum et patriam ille profitetur. Qua de re quid re vera statuendum sit deinceps videbimus.

[1]) Vide Ethicam Nicom. I 9, 1099 a 25—28.

§ 17. Quomodo accidere potuerit, ut nostra sylloge pro genuinis Theognidis carminibus aestimaretur, ex nostra ratione explicatur.

Vidimus nostram syllogen, quamvis cum genuinis Theognidis carminibus non confundenda sit, aliquid tamen cum Theognidea poësi commune habere. Usum enim convivalem et illius carmina subierunt et omnino ea quae in nostra s. congregata sunt. Demonstrare autem conabimur etiam de loco eam cum Theognidea poësi convenire. Quod si nobis contigerit, fieri non poterit, quin sensim paullatimque eam ex Theognideis carminibus prodiisse statuatur, ea ratione ut alia carmina convivalia, quae postea invaluerint, illis admixta sint, genuina vero magna ex parte posterorum incuria interciderint. Intelligitur autem, si hoc statuitur, quomodo accidere potuerit, ut haec sylloge pro Theognideis carminibus aestimaretur, praesertim cum nonnihil auctoritatis Theognidis nomen in eo combibonum collegio quod nobis statuimus habuisse ex quibusdam indiciis evidentissimum fiat.

Videamus igitur locum ubi convivalem hanc poësim in usu fuisse credendum sit. Certum autem locum quo exstiterit omnino isti poësis generi assignabimus, si quidem et Attica scolia non sine ratione hoc cognomen accepisse apparet,[1]) quae nusquam nisi in Attica terra et Athenis convivalem usum habuisse dixeris, et Lesbiaca illa Alcaei poësis, quam omnem convivalem fuisse supra cognovimus (vid. p. 18, 34, 40), ne domestico quidem sermone caruit. Itaque si nostram syllogen convivalibus carminibus constare nobis videmur intellexisse, nihil propius et magis e re est, quam ut proprium locum ubi potoribus in usu fuisse dicatur ea

[1]) Appellant 'Attica' ea Athenaeus (XV p. 693 e) et Dio Chrys. (or. 2, p. 95 a [R.].)

sibi exposcat.[1]) Qui nullus fuit nisi Isthmiaca Megarorum urbs. Eam enim, praeterquam quod Theognis Megarensem se appellat vv. 23—24, vv. 11—14 et 773—82 denotant, a quibus Cyrni nomen abest. Cum vero de loco cum Theognidis patria congruere videantur, nihilo minus hos versus ab eo profectos esse inveterata opinio est, quae etiam nunc vulgo retinetur. Attamen quam recte docti in ea perseverent, ex quibusdam rationibus, quas videbimus, maxime licebit dubitare. Quod si ostendere nobis contigerit, dignissima iam ista congruentia erit quae consideretur, etiamsi Platonis auctoritatem sequens — nos quoque ut eam sequamur prolixiores sumus — Theognidem non Isthmiacae sed Siciliensis illius urbis civem fuisse statuas, quae circa annum 483 a Gelone, Syracusanorum tyranno, in deditionem accepta incolisque orbata est. Qui si primum in illa urbe inclaruerat, fieri, opinor, non potuit, quin et in metropoli qui nobilium a partibus stabant eum amplecterentur. Cum enim in utraque urbe eodem tempore veteris comoediae primordia exstitisse ex eo coargui videatur quod Aristoteles de arte poët. 3, 1448 a 31—34 prodit, non absonum est de artiore etiam poësis convivalis connexu quae utrobique floruerit cogitare.

Priore loco vv. 773—82 inspicimus. Quibus Isthmiaca Megarorum urbs patria eius qui loquitur designatur propter Alcathoi conditoris mentionem, quem Apollo in exstruendis moenibus olim iuverit; cf. Paus. 1, 42, 2. Versus hi sunt:

Φοῖβε ἄναξ, αὐτὸς μὲν ἐπύργωσας πόλιν ἄκρην,
Ἀλκαθόῳ Πέλοπος παιδὶ χαριζόμενος·
αὐτὸς δὲ στρατὸν ὑβριστὴν Μήδων ἀπέρυκε
τῆσδε πόλευς, ἵνα σοι λαοὶ ἐν εὐφροσύνῃ
ἦρος ἐπερχομένου κλειτὰς πέμπωσ᾽ ἑκατόμβας,
τερπομένῳ κιθάρῃ τ᾽ ἀμφ᾽ ἐρατῇ θαλίῃ

[1]) Quocum convenit, quod saepius urbs eius qui loquitur designatur et *πόλις ἥδε* appellatur, velut vv. 52, 541, 782, 855.

παιᾶσίν τε χορῶν ἰαχῇσί τε σὸν περὶ βωμόν·
ἦ γὰρ ἔγωγε δέδοικ᾽ ἀφραδίην ἐσορῶν
καὶ στάσιν Ἑλλήνων λαοφθόρον· ἀλλὰ σύ, Φοῖβε,
ἵλαος ἡμετέρην τήνδε φύλασσε πόλιν.

Qui versus haud dubie eius belli instans periculum respiciunt quod a Xerxe a. 481 toti Graeciae illatum est. Quo enim alio bello Graecorum discordia poëtae curae esse poterat, quo alio Megaris timendum erat? Itaque a Theognide profecti esse non possunt, si grammaticis circa a. 540 floruisse recte traditur. Certe illi errare poterant, neque nimium tribuerim eorum testimonio, dum modo Theognidem anno 481 Isthmiacae urbis civem fuisse credibile sit. Quod quominus credamus, Platonis testimonium gravissimum[1]) obstat, quo ad Siciliensem civitatem relegatur. Legum enim in libro primo (p. 630a) '*πολίτην τῶν ἐν Σικελίᾳ Μεγάρων*' eum appellat Quod vero Didymum Platoni oblocutum esse et qui falsa rettulerit eum arguisse scholiasta ad hunc locum adnotat, nihil veri similius est, quam ut Didymi temporibus iam consuetum fuerit omnia ea ad Theognidem ipsum referre quae in nostra s. exstant, ita ut ille iam Harpocrationis argumentatione usus sit, cui vv. 783—88 respiciuntur, qui sane a Siciliensi poëta profecti esse non possunt. Videtur enim vetustior eius consuetudinis error fuisse, cum etiam Theophrastus qui ei obnoxius fuerit in conspectum veniat. Quem v. 147 q. e.

Ἐν δὲ δικαιοσύνῃ συλλήβδην πᾶσ᾽ ἀρετή ᾽στιν

Theognidi tribuisse ex Mich. Ephes. scholio ad Aristot. Eth. Nic. V 3, 1129b 29—30 comperimus. Fieri autem non potest, quin de Theognidea huius versiculi origine valde

---

[1]) Plato et Isthmiaca Megara et Syracusas adiisse traditur, quae fuit urbs admodum vicina veteris Siciliensis Megarorum urbis, cuius incolas etiam receperat.

dubitetur. Proverbii enim loco Aristoteli l. l. memoratur his dictis:

καὶ παροιμιαζόμενοί φαμεν· ἐν δὲ δικ. κτλ.

Talia vero posteris temporibus potius convivalibus carminibus irrepsisse crediderim, quam ut Theognidem vulgatas sententias et proverbia ad eum finem in metricam formam redegisse mihi statuam, ut in conviviis canerentur. Deinde, ut tamen illud distichon e proverbio procuderit et Cyrni nomine notaverit, hexameter ab eius arte abhorret, id quod primus Usenerus recte monuit (Jahrb. f. klass. Phil. 117 [1878] p. 69), cui iure Reitzensteinius assentit (Ep. u. Skol. p. 66—67). An in his hunc versum numerabimus quae Isocrates ad Nicocl. § 43, quo loco etiam Theognidis poësim respicit, '*τεχνικῶς πεποιημένα*' appellat? Quod vero Cyrni nomen ab eo disticho non abest, ille etiam aliis distichis nominatur quae spuria esse vix negari poterit. Velut ea ratio, ut quae in ore hominum fuerint usurpentur, rursus in vv. 335—36 apparet q. s.

Μηδὲν ἄγαν σπεύδειν, πάντων μέσ᾽ ἄριστα· καὶ οὕτως,
Κύρν,᾽ ἕξεις ἀρετήν, ἥντε λαβεῖν χαλεπόν.

Quos ex tribus proverbiis consarcinatos esse quis est quin videat? Ludicrum igitur quoddam ibi agnoscas, quod a Theognidea mente alienissimum mihi videtur fuisse. Cyrni appellatio deinde versibus 1161—62 inserta est q. s.

Οὐδένα θησαυρὸν καταθήσειν παισὶν ἄμεινον·
αἰτοῦσιν δ᾽ ἀγαθοῖς ἀνδράσι, Κύρνε, δίδου,

cum luce clarius sit parodiam hanc esse versuum 409—10 q. s.

Οὐδένα θησαυρὸν παισὶν καταθήσῃ ἀμείνω
αἰδοῦς, ἥτ᾽ ἀγαθοῖς ἀνδράσι, Κύρν᾽, ἕπεται.

Porro haec sententia, quae v. 1074 editur,

κρείσσων τοι σοφίη καὶ μεγάλης ἀρετῆς

cum Theognideo sensu minime conveniens est (conf. vv. 149- 50, 319—22), neque tamen non ille versus in iis occurrit quae Cyrni nomine notata sunt. Praterea hos vv.

Cyrni nomen non curans a Theognide abiudicem, utpote qui ab eius ingenio abhorreant:

129—30: *Μήτ᾽ ἀρετὴν εὔχου, Πολυπαΐδη, ἔξοχος εἶναι*
μήτ᾽ ἄφενος· μοῦνον δ᾽ ἀνδρὶ γένοιτο τύχη.

653—54: *Εὐδαίμων εἴην κε θεοῖς φίλος ἀθανάτοισιν,*
Κύρν᾽· ἀρετῆς δ᾽ ἄλλης οὐδεμιῆς ἔραμαι.

Denique de Theognidea versuum 1353—56 origine dubitari potest, cum primus eorum ex v. 301 petitus esse videatur. Cyrni nomen nonnunquam fraude carminibus convivalibus illatum esse eo credibilius deinde fit, quod qua ratione illud accidere potuerit etiam dispicere posse nobis videmur. Quod enim statim post prooemia ea elegia exstat ubi nomen suum et patriam Theognis profitetur, quid aliud ea re indicatur nisi ab eo haec omnia quae sequuntur edita esse? Nobis igitur, qui nullum grammaticum qui haec conquisierit nobis fingimus quique convivalia vestigia etiam agnoscimus in eclogarum ordinatione (vid. § 15 et 16), combibonum iam ratio ibi apparet, qui omnia quae in conviviis cecinerint in Theognidem conferre promptiores fuerint, cum eius nominis auctoritate tenerentur; conf. quod Heinemannus Hermae vol. 34 (1899) p. 599 in universum eius in poësi elegiaca auctoritatem statuit nihil ille quidem de convivali collegio sentiens quod unice nobis respicitur.

Iam igitur combibones illum errorem aluisse verisimillimum fit. Quod si statuitur, pervetustum eum fuisse inde consequitur, neque miramur, quod etiam Theophrastus in suspicionem venit, ut in eo versatus sit. Addiderim mihi etiam Platonem suspectum videri, qui non liber ab eo fuerit. Qui quod multo plura etiam de Theognidis poësi sciisse dicitur, cum hunc in modum in Menone p. 95 d Socratem et Menonem disserentes faciat:

(*Σ.*) *ἀλλὰ καὶ Θέογνιν τὸν ποιητὴν οἶσθ᾽ ὅτι ταὐτὰ ταῦτα λέγει; Μ. ἐν ποίοις ἔπεσιν; Σ. ἐν τοῖς ἐλεγείοις, οὗ λέγει κτλ.,*

vereor ne plus quam insit ex his eliciatur, minus ibi assentiens Reitzensteinio quod dicit Ep. u. Skol. p. 54: 'Die Zwischenfrage ist sinnlos, wenn Plato nicht auch andere Gedichte als "die elegischen" kennt'. Hoc enim, nihil amplius mea sententia a Menone quaeritur:

'Quaenam sunt ea dicta, ubi illud enuntiat?'

Cui Socrates ita respondet, ut ea dicta iam proferat, quae nunc '*ἐλεγεῖα*' appellantur. Poterant autem etiam '*ἔπη*' appellari; cf. Theogn. 22: *Θεόγνιδός ἐστιν ἔπη*. Sed dicere volebam, cur etiam Plato non ipsa Theognidis carmina usurpasse alicui videatur. Sensit Menonis l. l. eum sibi oblocutum esse, idque '*ὀλίγον μεταβάντα*' h. e. versibus non multum distantibus. Quod vero transitum a vv. 33—36 ad vv. 435—38 nostrae s. ita designat, suspicor in eo libro quem respexit versuum 31—36 et 429—38 eclogas, in quibus eclogis illi inveniuntur, ex responsionis ratione se excepisse, cum etiam in nostra s. contrarie dicta nonnunquam ea ratione se excipiant, velut duo disticha illa quae inde a v. 1153 leguntur. Ut autem fieri potuisse concedam, ut ab eodem poëta ederentur quae inter se consociari vix possunt, — aegre autem illud concesseris — in proximis haec quasi consilio ei collocata esse mihi iam incredibile fit, sed si illud ita evenit, ludum potius et morem convivalem in eo agnoverim. Itaque ne Platonem quidem genuina carmina sicut ipsi poëtae perscripta fuerint legisse existimem.

Vidimus igitur, id quod vidisse etiam in ponderandis versibus 11—14 non nullius momenti erit, pervetustum fuisse errorem illum quo convivalium carminum posterior quaedam collectio ad ipsum Theognidem relata est. Quem errorem potores iam, ut ita dicam, excoluerunt. Unde consequitur Platonis de Theognidis patria iudicium, Didymi contradictione nullo modo intercipi. Quod iudicium maxime etiam confirmatur, dum ea modo aspicias quae Cyrni

sphragide non carent. In quibus duobus locis de tyrannide patriae suae imminenti poëta metuit, quorum altero loco, h. e. vv. 43—52, in improbos homines verba faciens qui publico cum damno ipsorum commodis inserviant, unde intestinae civitatis turbae evadant necesse sit et monarchi, ita loquitur inde a v. 51:

ἐκ τῶν γὰρ στάσιές τε καὶ ἔμφυλοι φόνοι ἀνδρῶν
μούναρχοί ϑ', ἃ πόλει μήποτε τῇδε ἅδοι.[1])

Ibi quod dicit *ἃ πόλει μήποτε τῇδε ἅδοι*, magna mihi dubitatio exoritur, num Isthmiacae Megarorum urbis cives fuerit, sive medio saeculo sexto sive postea eum floruisse dixeris. Loquitur enim proinde ac si illud quod metuit antecedentibus temporibus nunquam accidisset. An aetate Theagenem praeiit et haec enuntiaverat priusquam ille in civitate Isthmiaca regnum obtinuit, qui exeunte saeculo septimo tyrannus ibi exstitisse vulgo creditur? Hoc fortasse poni potest,[2]) sed si ponitur, illud eo ipso nobis conceditur quod pervincere studemus, vv. 773—82 a Theognide alienos esse. Ceterum Siciliensis Megarorum urbs donec fuit, libera a tyrannico regno fuit. Quam tamen aegre liberam se servare potuisse inde cum aliqua probabilitate licebit concludere, quod in plerisque Siciliae civitatibus Graecis sexto saeculo tyranni rerum potiti sunt, inter quos qui Gelae et postea Syracusis iugum imposuerant et qui Agrigenti regnum tenuerunt excellebant. Aliquid etiam ei rei tribuerim, quod, cum in Theognidis civitate nobiles equo meruisse vv. 549—54 patefaciant, neque de Isthmiacae urbis equitatu quicquam audiamus, et Sicilienses, in primis Syra-

[1]) Hanc lectionem Ahrensius proposuit, cum optimi libri exhibeant *μούναρχοι δὲ*. Alia lectio est *μούναρχος δὲ*. Sed in nostra argumentatione non multum refert, utram praetuleris.

[2]) Nos Theagenem Solonis posteriorem fuisse suspicamur, ut supra (p. 44) diximus in adnotatione.

cusanos, inde a Gelonis temporibus equitibus plurimum valuisse notissimum est.[1]) Hoc alii iam et nuper Belochius (Fleckeisenii annal. 137 [1888] p. 729—33, Mus. Rhen. 50 p. 250—55) attenderunt, qui vir doctus in eo tamen falsa ratione mihi videtur duci, quod Platonis testimonium illud cum vulgata sententia, qua vv. 773—82 ad ipsum Theognidem non ad alium Megarensem nescio quem referuntur, conciliare studet. Quod ut adipiscatur, nostrum poëtam postquam a Gelone Siciliensis urbs *ἀνάστατος* facta sit in metropolim inde se contulisse ibique civem factum esse statuit, versus autem 11—14 et 773—82, quibus Isthmiaca urbs patria eius qui loquitur designatur, ab eo editos esse contendit postquam ea ei evenerint. Vide quam brevi temporis spatio novae patriae ille se assueverit! Crederes eum qui v. 781 sq. ita loquitur:

ἀλλὰ σύ, Φοῖβε,
ἵλαος ἡμετέρην τήνδε φύλασσε πόλιν

semper Isthmiacae urbis civem fuisse. Attamen, si Belochii rationem sequimur, vix duo anni praeterierant, ex quo tempore in eam civitatem ascitus est. Veritatis speciem desidero in hac ratione. Vetustiorem etiam Theognidem habuerim quam ut istis temporibus etiam clarus fuerit in poësi quae iam historiae in luce versantur. Nos igitur,

[1]) Megarenses in iis Spartanorum in bello Peloponnesiaco sociis Thucydides II 9 memorat qui equites nullos perhibuerint. Contra Syracusanos equitatu multum valuisse Athenienses in expeditione anni 413 senserunt (Thucyd. VI 20). Cf. Pindar. Ol. 1, 35 (ubi Hieronem dicit): *Συρακόσιον ἱπποχάρμαν βασιλῆα*, P. 2, 1 sqq.: *Μεγαλοπόλιες ὦ Συράκοσαι, βαθυπολέμου τέμενος Ἄρεος, ἀνδρῶν ἵππων τε σιδαροχαρμᾶν δαιμόνιαι τροφοί*, Bacchyl. carm. 5 init. (Blass): *Εὔμοιρε Συρακοσίων ἱπποδινήτων στραταγέ.* Videtur equitatus iam in Hippocratis, Gelae tyranni, exercitu non nullius momenti fuisse, qui Gelonem propter virtutem dignum habuit, qui omni equitatui praeesset (Herod. VII 154).

ut in Platonis testimonio acquiescamus,[1]) hos versus a Theognide potius abiudicabimus. Neque veremur poëtam plane ignotum qui eos finxerit agnoscere, cum vv. 1209—10 (*Αἴθων μὲν γένος εἰμί κτλ.*) ignotissimus homo, vv. 579—80 et 861—64 mulieres perquam ignotae loquantur, ut nihil dicam de parodiis.

Venio ad versus 11—14. Qui cum ita incipiant:

Ἄρτεμι θηροφόνη, θύγατερ Διός, ἣν Ἀγαμέμνων
εἵσαθ', ὅτ' ἐς Τροίην ἔπλεε νηυσὶ θοαῖς,

item iis Isthmiacam Megarorum urbem designari Pausaniae his verbis coarguitur, quae in Megarensium rerum descriptione exstant (1, 43, 1):

καὶ Ἀρτέμιδος ἱερὸν ὁ Ἀγαμέμνων ἐποίησεν, ἡνίκα ἦλθε Κάλχαντα οἰκοῦντα ἐν Μεγάροις ἐς Ἴλιον ἕπεσθαι πείσων.

Quaeritur autem, num Theognidem hos versus edidisse credibile sit, etiamsi Belochii rationem probaveris. Quod enim in Ethica Eudemia (VII 10, 1243a, 16—18) ei tribuuntur, pro nihilo nobis aestimatur, qui omnia ea quae in posteriore carminum convivalium collectione exstiterint antiquitus iam sine scrupulo ad eum relata esse intellexisse nobis videamur. Contra attendimus liberum alicuius poëtae ingenium in illis minus apparere, quos potius usus et necessitudo convivalis sibi exposcebat. Prooemium enim habemus. Quis autem Atticorum scoliorum prooemia non nisi claris et celebribus poëtis deberi contendet? Quinam sunt illi? Nonne videmus eodem iure, quo ista nullius poëtae esse dixeris cuius aliunde notionem habeas, nostrae quoque sylloges prooemia a Theognide abiudicari posse?

In prooemiis paulisper etiam moramur. Iuvabit enim attendisse quantopere et ex Atticorum scoliorum prooemiis

[1]) Quaestionem quae est de Theognidis patria non diiudicavisse nobis videmur. Neque nitimur in eam diiudicandam, sed hoc agimus ut versus 773—82 a Theognide alienos esse demonstremus, nihil amplius.

loci vestigia eluceant. In quibus, ut consentaneum est in carminibus Atticis, primum ad Minervam, alterum ad Cererem et Proserpinam pertinet. Quocum si conferre velis, quod nostrae s. versus 11—14 Dianam eam respiciunt quae Megaris sedem cultumque habuit, Apollinem quoque, cui decem versus initiales nostrae s. dedicati sunt,[1]) ob eam potissimum causam principaliter ibi invocari verisimillimum fit, quia patronus fuit et conditor eius urbis (conf. vv. 773 sqq., 759 sqq.). Num etiam hos versus qui Apollinem attinent Theognis condidit? Nobis nihil aliud apparet nisi Isthmiacae urbis carmina convivalia nostra sylloge contineri, si quidem prooemia eam denotant.

Attendamus illud quoque, quod nihil ex Solone, Mimnermo, Tyrtaeo depromptum est quo aliena studia et civitatis alicuius quae a Megaris diversa fuerit res illustrentur. Nihil igitur ex Solonis illo haud ignobili carmine quo Athenienses remittentes et certamine fessos rursus ille, ut Salamina expugnarent, excitaverat. Atqui aequum erat in mero elegiacae poësis florilegio, ut talia ponerentur potius quam ludicra illa atque obscaena quae haudquaquam absunt.

Dixerit aliquis etiam alia loca praeter Isthmiacam Megarorum urbem in nostra s. designari. Quae qua ratione designentur intelligere par est, priusquam Megaris eas in convivio edi potuisse negetur. Quaeritur igitur, num versibus 879—84 et 1209—10 ea quae statuimus labefiant. Alios enim locos nullos agnosco, quibus aliena loca ita designentur, ut poëtam, dum ea verba enuntiaverit, Megaris non fuisse cum aliqua probabilitatis specie contendere possis, vanissimumque mihi videtur quod Sitzlerus (Theognidis reliquiae

[1]) Constant autem duobis hymnis, quos quod Hillerus in quarta Anthol. Lyr. editione seiunxit, bene fecit mea opinione. Ut enim a verbis *Φοῖβε ἄναξ,* quae quinti versiculi initialia exstant, novam eclogen incipere consentaneum est, ita haud dubie verbis *σὺ δέ μοι κλῦθι καὶ ἐσθλὰ δίδον* prior hymnus concluditur.

p. 138) de poëta quodam Eretriensi cogitat qui vv. 891—94 campum Lelantium amissum queratur. In eo enim bello, quod antiquis admodum temporibus inter Chalcidenses et Eretrienses de eius campi possessione gestum est, Thucydides I 15 multas civitates Graecas ab utraque parte stetisse his verbis testatur:

μάλιστα δὲ ἐς τὸν πάλαι ποτὲ γενόμενον πόλεμον Χαλκιδέων καὶ Ἐρετριέων καὶ τὸ ἄλλο Ἑλληνικὸν ἐς ξυμμαχίαν ἑκατέρων διέστη.

Quae respiciens Sitzlerus l. l. omnes etiam Graeciae civitates in duas partes abiisse dicit. Quo magis miror, quod, cum Corinthios eo bello interfuisse statuat, Megarenses obliviscitur et neglegit. Mihi eos foedere et hospitio cum aliqua civitate Euboica quae illum campum obtinuerit coniunctos fuisse inde veri simillimum fit, quod qui vv. 783—88 edidit se Euboeam quoque et vineis opimum campum qui ibi fuerit adiisse dicit et ibi benevolenter receptum esse ut aliis locis quae adiisset. Venio ad eos versus quos designavi. Videamus primum num vv. 1209—10 q. s.

Αἴθων μὲν γένος εἰμί, πόλιν δ' εὐτείχεα Θήβην
οἰκῶ, πατρῴας γῆς ἀπερυκόμενος

in Megarensium convivio edi potuerint. Thebis habitat qui ibi loquitur. Quaeritur autem num Thebani illi fuerint quibus quid hominis sit enuntiat. Ego hoc plane negaverim. Quaerenti enim mihi quam ob rem quaque occasione illud enuntiaverit, vv. 511—22 et 879—84 in mentem veniunt, quibus hospites, qui aliunde advenerint, in convivio salutatos esse nobis persuasimus (vid. § 8). Quid igitur mirum, si illi etiam qui sint carmine cantuque declarant, cum hospitis fuisse, ut illud profiteretur, multis Odysseae locis appareat, velut I, 169 sqq., IV, 60 sqq., XIV, 45 sqq.? Quodsi hospitem, qui aliunde advenerit, istis versibus loqui recte nunc nobis statuitur, eum ibi habitavisse ubi haec in convivio ediderit incredibile fit. Non igitur Thebanis haec enuntiavit.

Neque quicquam obstat, quominus eum, cum Thebis consedisset, Megara aliquando inde se contulisse ibique nobilium conviviis interfuisse statuamus. Reliquum est, ut vv. 879—84 inspiciamus, num quid inde colligere debeas, quod ad nostram rationem minus apte se applicet. Qui versus cum ita se habeant:

Πῖν' οἶνον, τὸν ἐμοὶ κορυφῆς ὕπο Τηϋγέτοιο
ἄμπελοι ἤνεγκαν, τὰς ἐφύτευσ' ὁ γέρων
οὔρεος ἐν βήσσῃσι θεοῖσι φίλος Θεότιμος
ἐκ Πλατανιστοῦντος, ψυχρὸν ὕδωρ ἐπάγων.
τοῦ πίνων ἀπὸ μὲν χαλεπὰς σκεδάσεις μελεδώνας,
θωρηχθεὶς δ' ἔσεαι πολλὸν ἐλαφρότερος,

de Spartano poëta qui eos finxerit docti cogitant, praesertim cum epitheton q. e. '*θεοῖσι φίλος*' praeterea apud Tyrtaeum inveniatur, cui fragm. 5, 1 (Bgk.) Spartanorum rex Theopompus ita appellatur. Bergkius igitur haec adnotat: 'si Theognidis sunt, hospitem aliquem Spartanum loquentem inducit, sed fortasse ex Tyrtaei elegiis deprompta sunt, quamquam etiam de Polymnesto aliis cogitari potest; Hartung Chiloni vindicat.' Mihi ibi quoque quam recte qui non Megarensis fuerit poëta agnoscatur valde dubium fit. Illud enim quod aliquid in his vv. cum Tyrtaei more loquendi egregie convenit mihi potius ita explicatur, ut illius dicta *θεοῖσι φίλῳ Θεοπόμπῳ* nostri poëtae animo infixa haesisse statuam, quorum ad exemplar sua conformaverit. Tyrtaei enim poësis aliquam notionem nostros potores habuisse manifestum est, cum alios quoque flosculos metrice compositorum verborum inde sumpserint. Velut Tyrtaei dicta *αὐχένα λοξὸν ἔχει* (fr. 11, 2 Bgk.) v. 536 nostrae s. usurpantur. Itaque nihil ex ista congruentia, si sapimus, efficiemus. Vereor autem, si ipsi versus iam spectantur, ne plane corruat ista opinio, qua ad Spartanum poëtam referuntur. Ut enim dubitari nequit, quin Theotimus Spartanus fuerit, ita eum qui loquitur Spartanum non fuisse

veri simillimum fit. Qui cum hospitem quendam ad bibendum invitat, vinum quod ei praebet Spartani cultoris esse praedicat. Quid igitur statuimus? Utrum vinum ab illo acceperat tantum, an vineta unde procreatum est in eius possessionem venerant, ita ut Spartae domicilium habuerit ipse et Spartanus fuerit? Nonne Spartanum tam accurate regionem unde vinum ad se pervenisset hospiti designavisse minus credibile fit? Consentaneum erat, opinor, Spartani hominis vinum sub Taygeto vites tulisse. Quid deinde alterum Spartanum accuratius designat,[1]) qui cultor quondam fuerit eius vineae? Quid haec ad hospitem attinent cui illud vinum commendatur? Plana haec omnia sunt, si Spartani illius hominis externum hospitem intelligimus qui haec enuntiaverit. Nos igitur Megarensem intelligimus. Atque Megarensium nobiles hospitio cum Spartanis coniunctos fuisse ex versibus 783—88 intellegi licet, ubi qui loquitur se Spartam quando adiisse ibique benevolenter exceptum esse dicit.[2]) Neque inauditum est vinum inter hospitalia dona fuisse. Velut Ulixes a Marone, Apollinis sacerdote, cum allis donis tum vino repletis duodecim testis donatur (Od. IX 201—05), qui etiam '*σῖτον*' et '*οἶνον ἐρυθρόν*' praeter alia dona accipit, cum a Phaeacibus dimittitur (Od. XIII 69). Suspicer vinum etiam illum hospiti donavisse, qui in nostra s. vv. 511 sqq. Clearistum alloquitur, cum se proficiscenti

[1]) Accuratius eum designat cum dicit *ὁ γέρων θεοῖσι φίλος Θεότιμος ἐκ Πλαταριστοῦντος.* Post *Πλατ.* enim distinguo, Bergkium aliosque editores non sequens, qui coniungunt *ἐκ Πλατ. ὕδωρ ἐπάγων,* ut rivus, qui ita vocatus sit, intellegatur. Quod aliquid miri habet mea sententia. Locum potius designatum esse crediderim, unde Theotimus fuerit, ut Graecorum morem loquendi illum imitemur. Addiderim quod *Πλατανιστᾶς* Spartani alicuius loci nomen erat, cuius Pausanias 3, 11, 2 et 14, 8 meminit.

[2]) Respicias hic quoque quod modo attendimus, Tyrtaei carmina non ignota fuisse nostris potoribus. Produnt etiam vv. 1087—90 Lacedaemonis notitiam.

ei talia daturum esse promittat qualia sibi sint qualiaque dei sibi dederint vel dent, — dicit autem v. 514 *οἷ' ἔχομεν χοῖα διδοῦσι θεοί* — ubi alimentaria dona facile intellegas. Ea enim a deis hominibus praeberi in primis dici potest.

Hoc igitur nunc demonstravisse nobis videmur, nostra sylloge reliquias contineri eius poësis quae Megarensium in urbe inde a Theognidis temporibus floruerit. Quod si statuitur, praeclare quomodo fieri potuerit intelligitur, ut Theognidis nomine posteri eam amplecterentur. Cohaerere autem omnia ea quae in nostra sylloge exstant, ita ut quae postea addita sunt tamen ex Theognide pendeant, quis est quin videat? Flosculis Theognideis abunde posteri utuntur,[1]) variant atque refingunt eius versus, in angustum eius carmina cogunt, parodias excogitant. Unde cognoscas inconstantem hanc poësim fuisse et quae temporum processu convivali usui subacta a Theognide descenderit. Cuius poësis reliquias in nostra sylloge agnoscimus, quam si attentius perlustraveris, continui eius processus vestigia dilucide hodie etiam tibi appareant. Velut in quibusdam eclogis pro antiquioribus dictis ibi ubi repetuntur recentiora et usitatiora substitui recte, ut opinor, Heinemannus in Hermae vol. 34 p. 591 observavit. Neque enim v. 1070a *ἥβα μοι* ex superioribus vv. 877—78 retinetur, sed *τέρπεό μοι* ibi scriptum invenimus, neque *ἀμφαδίην*, quae vox v. 90 exstat, iteratur, sed subit ei v. 1082d *ἐμφανέως* in repetitis. Hoc igitur recte ille vir doctus mihi videtur statuisse, neque tamen opus erat, ut duas recensiones unde nostra sylloge conglutinata sit sibi statueret. Cui opinioni ex

[1]) Velut cum legimus vv. 189—90 in elegia ad Cyrnum data:

καὶ ἐκ κακοῦ ἐσθλὸς ἔγημεν, | καὶ κακὸς ἐξ ἀγαθοῦ

et ursus vv. 661—62:

καὶ ἐκ κακοῦ ἐσθλὸν ἔγεντο | καὶ κακὸν ἐξ ἀγαθοῦ,

Theognidem sua hunc in modum variavisse, quae ludificatio tanquam fuisset, incredibile fit, eumque non nisi altero loco loquentem agnoscas.

veri simillimum fit. Qui cum hospitem quendam ad bibendum invitat, vinum quod ei praebet Spartani cultoris esse praedicat. Quid igitur statuimus? Utrum vinum ab illo acceperat tantum, an vineta unde procreatum est in eius possessionem venerant, ita ut Spartae domicilium habuerit ipse et Spartanus fuerit? Nonne Spartanum tam accurate regionem unde vinum ad se pervenisset hospiti designavisse minus credibile fit? Consentaneum erat, opinor, Spartani hominis vinum sub Taygeto vites tulisse. Quid deinde alterum Spartanum accuratius designat,[1]) qui cultor quondam fuerit eius vineae? Quid haec ad hospitem attinent cui illud vinum commendatur? Plana haec omnia sunt, si Spartani illius hominis externum hospitem intelligimus qui haec enuntiaverit. Nos igitur Megarensem intelligimus. Atque Megarensium nobiles hospitio cum Spartanis coniunctos fuisse ex versibus 783—88 intellegi licet, ubi qui loquitur se Spartam quando adiisse ibique benevolenter exceptum esse dicit.[2]) Neque inauditum est vinum inter hospitalia dona fuisse. Velut Ulixes a Marone, Apollinis sacerdote, cum allis donis tum vino repletis duodecim testis donatur (Od. IX 201—05), qui etiam '*σῖτον*' et '*οἶνον ἐρυθρόν*' praeter alia dona accipit, cum a Phaeacibus dimittitur (Od. XIII 69). Suspicer vinum etiam illum hospiti donavisse, qui in nostra s. vv. 511 sqq. Clearistum alloquitur, cum se proficiscenti

[1]) Accuratius eum designat cum dicit *ὁ γέρων θεοῖσι φίλος Θεότιμος ἐκ Πλαταριστοῦντος*. Post *Πλατ.* enim distinguo, Bergkium aliosque editores non sequens, qui coniungunt *ἐκ Πλατ. ὕδωρ ἐπάγων*, ut rivus, qui ita vocatus sit, intellegatur. Quod aliquid miri habet mea sententia. Locum potius designatum esse crediderim, unde Theotimus fuerit, ut Graecorum morem loquendi illum imitemur. Addiderim quod *Πλαταριστᾶς* Spartani alicuius loci nomen erat, cuius Pausanias 3, 11, 2 et 14, 8 meminit.

[2]) Respicias hic quoque quod modo attendimus, Tyrtaei carmina non ignota fuisse nostris potoribus. Produnt etiam vv. 1087—90 Lacedaemonis notitiam.

ei talia daturum esse promittat qualia sibi sint qualiaque dei sibi dederint vel dent, — dicit autem v. 514 *οἷ' ἔχομεν χοῖα διδοῦσι θεοί* — ubi alimentaria dona facile intellegas. Ea enim a deis hominibus praeberi in primis dici potest.

Hoc igitur nunc demonstravisse nobis videmur, nostra sylloge reliquias contineri eius poësis quae Megarensium in urbe inde a Theognidis temporibus floruerit. Quod si statuitur, praeclare quomodo fieri potuerit intelligitur, ut Theognidis nomine posteri eam amplecterentur. Cohaerere autem omnia ea quae in nostra sylloge exstant, ita ut quae postea addita sunt tamen ex Theognide pendeant, quis est quin videat? Flosculis Theognideis abunde posteri utuntur,[1]) variant atque refingunt eius versus, in angustum eius carmina cogunt, parodias excogitant. Unde cognoscas inconstantem hanc poësim fuisse et quae temporum processu convivali usui subacta a Theognide descenderit. Cuius poësis reliquias in nostra sylloge agnoscimus, quam si attentius perlustraveris, continui eius processus vestigia dilucide hodie etiam tibi appareant. Velut in quibusdam eclogis pro antiquioribus dictis ibi ubi repetuntur recentiora et usitatiora substitui recte, ut opinor, Heinemannus in Hermae vol. 34 p. 591 observavit. Neque enim v. 1070a *ἥβα μοι* ex superioribus vv. 877—78 retinetur, sed *τέρπεό μοι* ibi scriptum invenimus, neque *ἀμφαδίην*, quae vox v. 90 exstat, iteratur, sed subit ei v. 1082 d *ἐμφανέως* in repetitis. Hoc igitur recte ille vir doctus mihi videtur statuisse, neque tamen opus erat, ut duas recensiones unde nostra sylloge conglutinata sit sibi statueret. Cui opinioni ex

[1]) Velut cum legimus vv. 189—90 in elegia ad Cyrnum data:

καὶ ἐκ κακοῦ ἐσθλὸς ἔγημεν, | καὶ κακὸς ἐξ ἀγαθοῦ

et ursus vv. 661—62:

καὶ ἐκ κακοῦ ἐσθλὸν ἔγεντο | καὶ κακὸν ἐξ ἀγαθοῦ,

Theognidem sua hunc in modum variavisse, quae ludificatio tanquam fuisset, incredibile fit, eumque non nisi altero loco loquentem agnoscas.

nostra ratione eam sententiam opponimus, ut, cum continuo usu haec evenissent, potoribus tum antiquiorem tum recentiorem modum placuisse contendamus. Convivalem enim hanc poësim agnoscimus et quae eodem loco in usu esse nunquam desierit, donec cantandi mos convivalis servatus sit. Quae sententia quibus rationibus constet, ut rursus nunc aliquo exemplo illustremus, hoc liceat addere:

Dubitari vix poterit, quin in versibus 213—18 q. s.

Κύρνε, φίλους κάτα πάντας ἐπίστρεφε ποικίλον ἦθος
ὀργὴν συμμίσγων ἥντιν' ἕκαστος ἔχει.
Πουλύπου ὀργὴν ἴσχε πολυπλόκου, ὃς ποτὶ πέτρῃ
τῇ προσομιλήσῃ, τοῖος ἰδεῖν ἐφάνη.
νῦν μὲν τῇδ' ἐφέπου, τοτὲ δ' ἀλλοῖος χρόα γίνου.
κρέσσων τοι σοφίη γίνεται ἀτροπίης

prior status nobis deprehendatur, posterior vero qui inde evenerit versibus 1071—74 q. s.

Κύρνε, φίλους πρὸς πάντας ἐπίστρεφε ποικίλον ἦθος
συμμίσγων ὀργὴν οἷος ἕκαστος ἔφυ.
νῦν μὲν τῷδ' ἐφέπου, τοτὲ δ' ἀλλοῖος πέλευ ὀργήν·
κρείσσων τοι σοφίη καὶ μεγάλης ἀρετῆς.

Inest autem nota quaedam in recentioribus his, unde iam potores nostros agnoscimus, a quibus ea quae in usu habuerint in eum modum variata et breviata sint. Virtutis enim ita mentio fit v. 1074, ut hos versus ibi auditos esse concludere debeas, ubi antiquitus virtutis cultus exstiterit. Itaque, etsi lasciviores et minus severi ingenii illi fuerunt qui posteris temporibus haec novaverint, in quibus minor iam virtutis reverentia apparet, fieri tamen non poterit, quin participes et illos fuisse putemus eiusmodi collegii quod in virtutis cultu versatum sit. Quocum conferas, quod supra (p. 25—27) tale collegium agnovimus, quod idem convivale fuisse intellexisse nobis videmur.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

I. Hom. hymni in Ap. Del. v. 119 scripserim *ἐκ δ' ἔθορες πρὸ φόωσδε*, cum traditum sit *ἔθορε*.

II. Eiusdem hymni vv. 165—72 a Thucydide III 104 non sine lectionum differentia memorantur. In quibus pro *ἄλλος ἐπελθών* v. 168 Thucydidi reddendum esse censeo *ἄλλοθεν ἐλθών*, ut legatur:

— — *ὁππότε κέν τις ἐπιχθονίων ἀνθρώπων*
ἐνθάδ' ἀνείρηται ταλαπείριος ἄλλοθεν ἐλθών.

Conf. quod legimus C. I. A. I 463:

Εἴτ' ἀσιός τις ἀνὴρ εἴτε ξένος ἄλλοθεν ἐλθών.

III. Hom. hymni in Ven. v. 104 scripserim *ποιεῖν δ' ἐξοπίσω θαλερὸν γόνον*, cum traditum sit *ποίει*.

IV. Theognideae sylloges v. 490 scripserim *τὴν δ' ἐπὶ χεῖρ' ὀρέγεις*. Tradita lectio est *τὴν δ' ἐπὶ χειρὸς ἔχεις*.

V. Theognideae sylloges post v. 881 non distinguo, cum *ἐκ Πλαιανιστοῦντος* (v. 882) ad Theotimum, non ad sequentia dicta q. s. *ψυχρὸν ὕδωρ ἐπάγων* mihi referatur.

VI. Theognideae sylloges v. 970 in iis quae sunt *νῦν δ' ἤδη ναῦς ἄθ' ἑκὰς διέχω* posuerim *ἄκρης* pro *ἤδη*. cf. Od. IX 284—5. Cetera enim non temptaverim, neque eos sequor qui *ἥκης* inferunt.

VITA SCRIPTORIS.

Natus sum Johannes Guilelmus Franziscus Wendorff Calendis Septembris a. LXII saeculi defuncti Sedini Pomeranus patre Hugone, mercatore, matre Clara de gente Lehmann. Fidei addictus sum evangelicae. Urbis patriae gymnasii Mariae disciplina per undecim annos usus vere anni LXXXIII maturitatis testimonio instructus, ut studiis mathematicis et physicis operam darem, universitatem adii Friburgensem. Sequentibus duobus semestribus Berolinensis rursusque Friburgensis universitatis, sequentibus quatuor Berolinensis civis fui. Quarto semestri etiam philologica et archaeologica studia amplexus sum, quibus deinde usque ad septimum semestre totum me dedi. Ex quo tempore, Berolini habitans, desii longiore intervallo universitatem frequentare, nisi quod inde ab autumno a. LXXXVII per tria semestria sanscriticis scholis interfui. Privatim autem quaedam tractavi nimiumque iis intentus fui, quae ab academica consuetudine remotiora sunt. Quae qualia fuerint titulo libri anno LXXXIX a me editi indicatur, cui inscripsi: Erklärung aller Mythologie aus der Annahme der Erringung des Sprechvermögens. Anno LXXXVIII uxorem duxeram, quae res altera causa fuit, ut academico studio desisterem. Quod tamen inchoatum deseruisse postero tempore me poenituit, rursusque vere a. XCIV universitatis Berolinensis civis factus sum, a quo tempore per quatuordecim semestria scholis philologicis in primis et sanscriticis interfui. Examen rigorosum sustinui die XIV m. Julii a. II h. s.

Docuerunt me clarissimi et eruditissimi viri Curtius, Diels, Dilthey, Fuchs, Furtwaengler, Geldner, Graef, Hettner, Kékulé de Stradonitz, Kirchhoff, Lindemann, Lüroth, Maas, Pernice, Puchstein, Robert, Schrader, Sieg, Stickelberger, Vahlen, Warburg, Weber, Winter, Zeller.

Quibus omnibus gratias semper habebo, maximasque Geldnero, Kirchhoffio, Vahleno, viris optime de me meritis. E quibus Kirchhoffius id mihi permisit, ut exercitationibus epigraphicis, quas instituebat, interessem. Illius praeterea et Vahleni benevolentia autumno a. XCIV in seminarium philologicum receptus sum, cuius per quinque semestria sodalis fui.